






# FRANCISCI GIFTSCHUTZ

IN UNIV. VINDOB. THEOL. PROFESSORIS

# INSTITUTIONES THEOLOGIÆ PASTORALIS,

EX LINGUA GERM. IN LATINAM CONVERSÆ.

*Novam editionem auctiorem curavit Alumnorum suorum commodo* IOSEPH ZOLA *Brix. S. Th. et I. C. D. Collegii Germ. et Hung. Rect. H. E. P. in Acad. Ticinensi, Regius Librorum Censor, etc.*

PARS I.

---

MATRITI:

TYPIS AGUADO ET SOCIETATIS,

ANNO MDCCCXX.

---

*Se hallará en la librería de* MATUTE, *calle de las Carretas, junto á la Imprenta nacional.*

# BENEVOLIS LECTORIBUS

*S. P. D.*

## INTERPRES LATINUS.

Solemne est iis, qui scripta alterius in linguam aliam transferunt, aliquid de instituti suscepti ratione in limine præfari; ut constet sive de utilitate operis, sive de ipsius interpretationis scopo, ac fide, atque de methodo, qua in paranda translatione usus est interpres.

Quantum ad operis utilitatem; haud reor multis opus esse verbis. Quod si enim breve intra temtus repetitæ editiones argumento sunt, notæ melioris ese librum, qui iterum iterumque recusus in lucem prodit: bene sentire de eo licet, quem latinitate donavimus. *) His accedunt judicia ho-

*) Prima editio comparuit *Viennæ* an. 1785. 8. Altera *Hildesii* et *Paderbonæ* an. 1787. 8., fœdata maculis pluribus, quanquam inscriptio *emendatiorem* esse spondeat. Sed notum hoc est, ac familiare biblio-

minum eruditorum, qui non in Austria solum, verum in aliis etiam Germaniæ provinciis, publicis, privatisque usibus has pastoralis theologiæ institutiones accommodatas, frugiferasque esse censerunt. Nec immerito: ita quippe comparatæ sunt, ut et nitido perspicuoque ordine, et ea qua par est, brevitate proponant quæcumque necessaria sunt ei, qui pastoralis muneris partes obire cum dignitate atque fructu velit. Quæ dum affirmamus, nolumus contendere, esse opus numeris omnibus absolutum. Qua quidem in re auctorem ipsum, superstes si esset, consentientem nobis haberemus; velut apertum est ex prefatione, operi præmissa, in qua candide, palamque professus est, succedentibus annis, studiisque elaboraturum se esse, ut quantum in se esset, perfectius, atque limatius redderet id, quod edidit formandis pastoribus destinatum opus; tantum abest, ut magnificentius de suo partu judicaret.

Ut etiam, extra Germaniæ fines, optatos fructus ferret, ac adjumento esset his, qui curam animarum, atque ecclessiarum gubernationem suscipiunt, latine reddere opus fructuosum in animum induximus, moniti ab iis quibus rerum theologicarum, eisdemque conjuncta animarum salus curæ cordique est. Ita vero hoc in negotio versati sumus, ut non tam verbum verbo, quam sen-

---

polarum stratagema. Eodem an. 1787. *Viennæ* luci exposita est editio nova, ab auctore adornata locis multis auctior, emendatiorque. Atque ad istam exegimus translationem Latinam, quam exhibemus.

tentiam sententiæ redderemus, procul tum ab exquisita orationis elegantia, atque fuco rethoricorum verborum, tum ab humili, sordidaque sermonis barbarie, medium quoddam iter ingressi, sectatique dicendi genus, quod videtur didactico magis esse opportunum. Absit autem, ut quisquam existimet, se hic non esse reperturum, nisi puræ latinitatis vocabula, usitata priscis aureæ, ut vocant, ætatis scriptoribus: fatemur namque, ut intelligeremur, maluisse nos identidem adhibere voces vel latio incognitas, vel latinis auribus eo sensu, quo adhibentur, insuetas, parumque latinas, quam uti circuitu sermonis, aut arcessitis orationis ornamentis impedire lectores, eosque a recte percipiendis rebus ipsis arcere. Huc referuntur vocabula *Commissarius*, *Consiliarius*, *circumstantiæ*, *parochus*, *parochia*, *patrinus*, *jura stolæ*, aliaque id genus non pauca, quæ ut æqui bonique consulant, eos potissimum rogatos volumus, qui non amant, nisi *Tulliana*. Vere tandem asseverare possumus, nos fide integra redidisse, quæcumque textus Germanicus continet. Id duntaxat nobis permissum esse rati sumus, tollere errata quædam manifesta, quæ par erga attinent momenti levioris, atque restituere nonnulla loca notata perperam. Plus nobis in opus alienum sumere non sumus ausi. Faxit Deus Optimus, ut opera, quam in transferendo collocavimus, in nominis sui gloriam cedat, atque utilitatem plurimorum!

# PRÆFATIO AUCTORIS.

In adornandis brevioribus hisce institutionibus (neque enim plenum, ac numeris omnibus absolutum opus quisquam hîc expectaverit) id potissimum egi, ut studerem brevitati, rectoque ordini; nihilque prætermitterem, quod cognitu necessarium reputaretur esse, aut proprius pertinere ad id litterarum, scribendive genus; maxime autem dedi operam, ut id, quod theologia pastoralis proprie sibi vindicat, a theologiæ partibus ceteris, velut institutum disciplinarum theologicarum, quod nunc apud nos obtinet, præscribit, diligentius secernerem. Forem alienus a candore atque integritate hominis ingenui, ingratique animi vitium merito viderer incurrere, si quidquid hic profero, venditarem pro inventis undelibet propriis. Adjumento ut essem discipulis, atque, si recte sapio, magistrorum quibusdam in provehenda eorum his de rebus notitia, omni, qua par est, fide excitare studui auctores, qui mihi erant usui, cum hæc scriberem. Germani sunt plerique, quos allegavi. At Germani pariter sunt in quorum commodum hæc litteris tradidi. Neque opinor, jure me reprehensum iri a quoquam

aut excusatione opus esse, quod ex eorum censu plures sint Protestantium sacris addicti. Ingenui namque, ac egregii magistri esse judico, in eo litterarum genere, in quo excolendo versatur, non domesticos solum, verum etiam exteros sibi reddere familiares, meliora seligere, eademque ad suos, atque communes aliorum usus transferre. Ex eo autem, quod opus aliquod hujus, illiusve loci, aut argumenti causa laudem ferat, candidumque calculum; consequens non est, probari illud universe, nihilque in eo reperiri, quod nigro theta notari mereatur; quod quidem in ipsos etiam cadere scriptores catholicos, nemo rerum gnarus pernegaverit. Periculum quod attinet seductionis; metuendum sane non est, ne his, quibus mea destinata sunt, nocumenti quidquam inferatur. Neque enim mihi res est cum his, qui de religione balbutiant cum infantibus; sed qui omnem propemodum theologiæ cursum absolverint, munitique sint præceptionibus polemicis adversus subtiles quasque objectiones, quas catholicæ religionis systemati opponere consueverunt. Malo certe loco se haberent fundamenta, quibus res catholica innititur, si id genus hominibus immineret periculum e lectione librorum, quorum feci mentionem. Interea nisi majorem in modum fallat cavi cura sedula, ut ne commendarem opus aliquod ex præscripto regularum, quæ librorum censoribus auctoritate publica præstitutæ sunt, prohibitorum indici accenseri mereretur. Quemadmodum vero is ego non sum, qui contendam, omni ex parte perfectum esse id, quod præstiti; ita facile mihi persuadeo, non esse factum opusculo

meo, ut numerus librorum, qui apud nos eo de argumento tractant, absque utilitate augeretur. Me tandem clam non est, præter voluntatem bonam, quam auctor adfert, requiri ad istiusmodi perficiendum opus, perfectum ut dici jure quæat, varii generis adjumenta alia, quæ scribenti in promptu haud semper sunt, neque posita in ejus potestate. Quod si, propitio numine, subsidiis, quibus opus est, me præditum intellexero, commissurus non sum, ut ubi cæpi, gradum sistam; sed contendam potius, ac quidquid in me est virium exseram, eoque convertam, ut perficiam magis, magisque excolam id disciplinæ genus, quod ingenuo philanthropo dignum, summique momenti est ac ponderis, officia si spectes, quæ attinent tum religionem, tum rempublicam.

# INTRODUCTIO.

## I.

Nullo non tempore fuerunt, qui aliis ad felicitatem viam docendo et hortando ut demonstrarent, probitatisque amorem eorum in animis accenderent, sibi laborandum esse existimarunt. Neque dubitandum est, quin primis familiarum patribus magnæ fuerit curæ indicare suis, quem in finem humanum genus esset conditum, quod inter virtutes et scelera discrimen, quibus modis rite colendus Deus, quæ ex virtutibus haurienda utilitas.

## II.

Habebat Hebræorum gens prophetas et legis doctores, quorum id præcipuum propriumque munus erat, ut voluntatem Dei exponerent, a sceleribus avocarent homines, et ad virtutes cohortarentur. Nec cæteris populis deerant philosophi, sapientiæ et virtutis magistri, ut SOCRATES, PLATO, XENOPHON, CICERO etc.

## III.

Præcipuè vero, ac singulariter doctrina, qua felices efficerentur homines, per universalem atque missum a Deo mortalium præceptorem latissime divulgabatur. Iesus religionis christianæ auctor, tollebat, quod inter Iudæos et alias gentes intercedebat discrimen; docebat practicam, eamque veram philosophiam, expurgabat morum doctrinam, nævis inquina-

tam; probos jucundissima beatioris post mortem vitæ spe erigebat. Ut, quæ docebat, disseminarentur latius, elegit viros duodecim, quos nominavit *apostolos*, iisque adjunxit discipulos septuaginta duos in docendi munere socios et adjutores. En hinc originem traxit apud christianos munus instituendi alios.

IV.

Sacri doctores officio suo ut recte fungerentur, neque ulla nasceretur inter eos confusio, loca et cœtus, quibus præerant, certis limitibus circumscribebantur. Ita apostolorum acta (XIV. 20). PAULUM illis, quos ad christianam religionem traduxerat, *per singulas Ecclesias presbyteros constituisse* narrant. Hi suis finibus descripti terrarum tractus appellabantur *diœceses*, ad imitationem Romanorum, qui imperii provincias in diœceses diviserunt; qui llis præpositi, vocabantur episcopi, sive supremi inspectores.

V.

Cum, aucto christianorum numero, solus episcopus eâ, qua necesse erat, curâ majores cœtus gubernare haud posset, neque, in quæ congregabantur, loca identidem crescentem multitudinem possent capere, majores hi terrarum ambitus secabantur in minores, quibus præsertim ruri præficiebantur presbyteri, quibus id negotii datum erat, ut sub episcopi inspectione erudirent christianos, externoque cultu Deus ut rite coleretur, curam gererent. Hinc *parochiarum*, ut vocamus, origo. Quo vero tempore constitutæ sint, definire et difficile est, et nobis minime necessarium *).

*) *Harum ecclesiarum præfecti vocabantur* curati, rectores, pastores, personæ ecclesiarum, plebani, sacerdotes secundi ordinis, prælati minores etc. (Vide

Binghamum *Originum sive antiquitatum Ecclesiasticarum* tom. III. et duo illa pastorum hujus ætatis lumina, Io. Baptistam Guadagninium Brixianum in *diatriba de antiqua Parochiarum origine* Brixiæ edita anno 1782. et Ios. Ant. Cornarium Bergomatem *de' parrochi libri sette*, qui libri hic editi sunt anno 1788. At quæcumque pertinent ad institutionem et propria munera Parochorum nemo luculentius tractavit Maultroto viro doctissimo, editis hac de re libris amplius triginta, quorum titulos et argumenta recensere nimis longum foret. Legi denique etiam meretur Cajetani de Rottensstetter, alumni nostri, liber *de divina institutione Pastorum secundi ordinis*, sub magnis auspiciis IOSEPHI II. AUGUSTI hic editus anno 1788).

## VI.

Iam vocabula hæc, *parochia*, *parochus*, *pastorale* officium quid significent, perspicuum esse crediderim. Certus locorum ambitus viri unius, cui interna suorum felicitas, quies ac emendatio cordi esse debent, curæ commendatus vocatur *parochia*; sub ejus cura qui degunt, sunt *parochiani*; his præpositus *parochus*, animarum curator, pastor, religionis doctor; ejusque munus *pastorale officium.*

## VII.

Quod si veram quietem, atque felicitatem, cujus desiderio nemo non tenetur, probitate sive religionis exercitio parari certissimum est: sacrum hoc docendi munus universo humano generi admodum utile, magnique momenti esse negotium, haud facile quisquam inficiabitur. Præterea si certissime existimandum est, beatissimam fore illam rempublicam, cujus omnia membra ad puræ christianæ religionis præcepta vitam instituerent; profecto etiam religionem docentium munus

magnum reipublicæ afferet adjumentum. Quod enim is, qui reipublicæ præest, nonnisi legibus et pœnis extorquere potest, illi petitis a religione argumentis, quæ altius in hominum animos descendunt, defixosque diu aculeos relinquunt, efficere student.

## VIII.

Doctrinam de functionibus, quæ pastorem animarum attinent, *institutionem pastoralem* nominamus, quæ certa methodo ac via cum tradatur, et inter Theologiæ partes jam numeretur, usu recepta loquendi ratione *pastoralis theologia* dicitur.

## IX.

E præstantia sacri hujus muneris, ejusdemque momento, nullo pene negotio conficitur, quanti momenti sit ea disciplina, quæ in erudiendis animarum pastoribus occupatur. Quod si disciplinarum theologicarum præstantiam dijudicare oportet e modo et vi, quibus in hominum animos agunt, ut religionis christianæ legibus obtemperent, mores emendent, ac tranquille vivant, facile est statuendum, quem pastoralis Theologia, quæ ceu unum ac præcipuum scopum hominum emendationem, et tranquillitatem spectat, inter eas gradum obtineat.

## X.

Ad pastorale officium bene administrandum plurimum requiri artis, dexteritatis, ac prudentiæ, pro certo semper fuit existimatum; hinc pastoralis institutionis necessitas cognoscitur * ). Siquis aliarum disciplinarum theologicarum cognitione imbutus est, non tamen is continuo modum perspectum habet, quo scientia sua aliis prodesse possit, et ad ea, quæ christiana lex præ-

cipit, exercenda animos permovere. Exercere artem, atque experiri, doctrina nisi præcesserit haud utile est. Hæc via certissime ad errores ducit. Esto, fuerint quidam viri egregii, hac doctrina in academiis non exculti. At ingens profecto iis labor ac studium fuit impendendum, aut per multas ambages ad necessariam sibi habilitatem pervenerunt; aut, quod in gravi, tantique momenti munere admodum luctuosum est, errando sapuerunt **).

*) Ars artium regimen animarum. *S. Greg. M.*

**) *Vid. Baumgartens* Tractatus de utilitate Institutionum doctrinæ pastoralis, in Diario pro oratoribus sacris, Vol. I. §. 257.

## XI.

Habet pastoralis Theologia suos, ut omnis scientia, fontes, sua subsidia. Nemo dubitabit, revelationes divinæ, et inter eas evangelistarum scripta primum locum quin teneant. E modo, quo Salvator ad diversa adeo hominum genera, et loquendo et agendo usus est, veram pastoralem prudentiam licet addiscere. Quid in docendo pastori in primis spectandum sit, ostendunt in evangelio memoriæ prodita præcepta ac monita. Servatoris nostri vita vivum est pastori exemplum, unde recte vivendi rationem discat.

## XII.

Quæ ex factis quoque ac scriptis apostolorum certo modo addisci possunt. Oportet tamen temporum varietates, et adjunctas eorum, ac locorum rationes intueri. Proprium vero ac singularem locum in pastoralibus institutionibus merentur S. PAULI ad *Timotheum* et *Titum* epistolæ.

XIII.

Incassum apud veteres christianos scriptores quærimus institutionem pastoralem, ordine systematico scriptam; sparsim tamen multa utilia, præsertim de dotibus doctoris christiani, et sese bene gerendi ratione in iis invenimus. Ex antiquissimis quidem scriptis huc referri solent *a*): Epistola S. IGNATII ad S. *Polycarpum b*). *Constitutiones*, ut vocari solent, *apostolicæ*; quæ tamen non tam pastorale munus, quam virorum ecclesiasticorum mores, et quosdam primorum christianorum in cultu divino ritus attinent *c*). Epistolæ duæ S. CYPRIANI, *Carthaginensis* episcopi, in quibus nonnulla de qualitatibus antistitis sacri occurrunt *). Sermo primus S. GREGORII *Nazianzeni*, qui *apologeticus* nominatur *e*). AMBROSII liber *de sacerdotali dignitate* **). Ejusdem libri tres *de officiis ministrorum*; qui continent regulas morales, omnibus utiles; at scriptæ sunt ad ecclesiæ ministros *f*). Epistola S. HIERONYMI ad *Nepotianum* ***).

*) *Una, quæ in editione* Baluzii *sexagesima octava est, inscribitur*: Qui antistites in ecclesia eligendi, et qua cura, ad clerum et plebes in Hispania consistentes de Martiale et Basilide; *altera*: Qualis esse debeat vita sacerdotum; *estque secundum* Baluzium *septuagesima quarta.*

**) *Editores hunc* Ambrosii *fœtum haud esse, argumentis non levibus ostendunt.* (Est etiam magno studio legendus Augustinus tum in epistola ad Valerium Episcopum et de pastoribus in Ezechielem, tum *de catechizandis rudibus*, et *de doctrina christiana*, præsertim libro IV).

***) *D. Io. Petrus Miller ex* Gregorio, *aliisque*

*ecclesiæ Patribus excerpta loca selectiora luci exposuit in opere*: Patriotischer Landprediger. ( Extat etiam egregius liber inscriptus: *Regles de conduite pour les Curés*, *tirees de S. Iean Chrysostome* etc., editus, Parisiis anno 1688 ).

XIV.

Specialius pastorum utilitati servient *a*): S. Ioannis Chrysostomi *de Sacerdotio* libri sex. In iis admodum copiose partim de sacerdotii dignitate, partim de officiis ministrorum ecclesiæ disserit. Quantam huic viro existimationem conciliarint vitæ probitas, ac eloquentia, qua valuit, minime est obscurum. Vix unquam de ulla hujus generis elucubratione præclarius existimatum fuit, quam de S. Gregorii M. opere, quod *Liber regulæ pastoralis* nominatur. A Græcis æque ac Latinis magno semper fuit habitum in pretio, omniumque fortasse quæcumque hic Pontifex Maximus scripsit, utilissimum. Quod elegantiarum flosculis id ornavit, et sacrarum litterarum loca minus proprie hic ibi accommodavit, venia ei danda est. Præterea S. Bernardi *de consideratione* libri multis de causis memoratu digni sunt. Non tantum Pontifices maximi, et Episcopi, ad quos monendos præcipue spectant; sed omnes etiam, quibus cura in procuranda hominum salute demandata est, multa ex iis utilia documenta possunt haurire. Huc aliquo modo etiam pertinet ejusdem sancti viri tractatus: *De moribus et officio episcoporum ad Henricum Senonensem archiepiscopum*; item alius: *De vita et moribus clericorum* ** ).

* ) ( Præter hunc librum plures Gregorii *Magni* extant homiliæ et epistolæ ejusdem argumenti; quod et de aliis SS. Patribus, ac præsertim de S. Augustino monitum volo; qui scilicet longe plura habet ad pastores et oves pertinentia, quam quæ recensui ).

**) (His addi possunt B. PETRI *Damiani* et PETRI *Blesensis* opuscula, sermones, atque epistolæ de vita, moribus et officiis Præsulum et Clericorum; pluresque alii tractatus, quos exhibet luculenta Collectio, *tubæ sacerdotales*, inscripta, et Lugduni edita anno 1693. Ad cujus calcem legere est etiam indicem chronologicum aliorum sanctorum Patrum et Ecclesiasticorum Scriptorum, qui a primis Ecclesiæ sæculis usque ad XVII. in hoc argumento versati sunt. Romæ quoque, curâ FRANCISCI a *Puteo*, Congregationis Oratorii Presbyteri, anno 1764 prodire cœpêre *Selecta SS. Patrum opuscula de Sacrorum Ministrorum officiis*; quorum alterum volumen vir pius et doctus, post infinitas molestias, vix edere potuit ano 1777. Nemo vero miretur parochis legenda proponi, quæ Ecclesiæ doctores videantur Episcopis direxisse. Sunt enim pleraque officia, paucis exceptis, tum Episcoporum tum Parochorum communia, quos nullo discrimine admonuit Paulus atten»derent sibi et universo gregi, in quo juxta positi essent »a Spiritu Sancto episcopi regere, seu *pascere*, Eccle»siam Dei »).

## XV.

Cum in Ecclesiæ ætate media omnis, quæ circa religionem versatur, scientia in deterius cœpisset prolabi, in tenebris etiam jacebat animarum pastores docendi ratio. Quippe vix erant, qui christiana doctrina populum recte erudirent, aut aliis sacro hoc munere rite fungendi modum ostenderent. Ii, qui *Scholastici* nominabantur, nugis, ineptiis, subtilitatibus, inanibus mentis speciebus (*phantasiis*) penitus immersi, omne in iis excogitandis, aut considerandis studium tempusque collocabant, ut non vacaret, religionis dogmata exponere christianis, et ad formandos præstantes animarum curatores laborem suscipere. Præter nonnulla leviora opuscula, quæ ad exponenda christianæ legis initia (*catechi-*

*zationem*) et conciones abendas attinebant, et quædam conciliorum decreta, nihil de hac, quam tractamus, materia, prodibat in lucem.

XVI.

Postquam summa ignorantia ac superstitio plurimorum mentes animosque occupaverant, fœdissimique abusus late invaluerant; exstitere notissimi illi motus, qui LUTHERI concionibus ansam præbuerunt. Tum intensiore cura cœptum est cogitari, atque in id incumbi, ut hominum vulgus doceretur cum fructu, et futuri animarum pastores probe formarentur. LUTHERI parænese ad verbi divini ministros collegit our. PORTA *Islebiensis* præco. Quam quidem syllogen denuo exposuit luci CHRISTOPHORUS *Cramerus* hoc titulo: *Necessaria instructio de præcipuis Ministerii partibus concinnata e scriptis D. Lutheri, recenter edita a Ioanne Christophoro Cramero, Ienæ* 1759. Postea multæ a Lutheri asseclis, atque illis, qui se *Reformatos* dicunt, institutiones pastorales conscribebantur *).

*) Eos in Walchii Bibliotheca theologica selecta, *et* in Buddei Isagoge historico-thelogica, atque aliis videre licet.

XVII.

Quam necessarium esset, habere ecclesiasticos optime informatos, tunc temporis etiam intelligebant catholici. Episcopi ardore sancto succensi admovebant manum operi, multisque editis decretis, ac monitis subjectos sibi clericos instruebant. Concilium *Tridentinum* decrevit plurima, quæ ad clericorum vitam, administrationem sacramentorum, et docendi munus pertinent. In primis S. CAROLI e Borromea familia labores hic commemorandi sunt. Omnes quippe curas defigebat in eo, ut

disciplinam, et ordinem in divino cultu restitueret. *Acta ecclesiæ Mediolanensis a* CAROLO *Card. S. Praxedis archiepiscopo condita*, *Mediolani* 1599, quam pio fervore vir hic incomparabilis inflammatus fuerit, testantur. In peculiarem vero usum pastorum ecclesiasticorum conscriptæ sunt ejus instructiones pastorum, separatim sæpius typis evulgatæ. His annumerandus etiam est BARTHOLOMÆI *a martyribus* liber, qui *stimulus pastorum* inscribitur.

## XVIII.

Post hoc tempus institutiones pastoralis officii, ut disciplinæ aliæ, magnos fecerunt progressus. Multi nostro et superiore sæculo et generatim et speciatim hac de re scribentes magnam utilemque operam Theologiæ pastoralis navaverunt. Varia sacrum hoc negotium illustrantia, multumque adjuvantia in peculiaribus Episcoporum Galliæ mandatis, et litteris pastoralibus inveniuntur. Multum quoque luminis afferunt *acta cleri Gallicani*; *acta parochorum Parisiensium*; *Conferences ecclesiastiques* BABINI; (tum HENRICI *Barillonii* Episcopi Lucionensis, aliorumque).

## XXIX.

E catholicis scriptoribus, ut nominentur, digni præcipue sunt:

*a*) IOANNIS OPSTRAET *Pastor bonus*; Gallice: *Le bon Pasteur; ou l'idee, le devoir, l'esprit, et la conduite des pasteurs, traduit par Mr. Hermant.*

*b*) COLLET, *Traite des devoir d'un Pasteur, qui veut se sauver en sauvant son peuple.*

*c*) MANUEL *des Pasteurs, par Dinouart.*

*d*) *Instructions sur les fonctions du ministere pastorale, par l'eveque de Toul.* Quarum quidem instructio-

num prima tantummodo pars regulas in usum pastorum; reliquæ materiam ad conciones complectuntur.

e ) *Le Pasteur instruit de ses obligations*, *ou institution des Curés*, *a Paris* 1767. ( Qui liber italice redditus a Cornario prodiit Venetiis anno 1785 ).

* ( *Petri Soto* manuale Clericorum, *Ducos*, Pasteur apostolique, *et nonnulli alii cum istiusmodi inscriptionibus continent potius materiam ad docendum, sive quæstiones dogmaticas et morales, quam Theologiæ pastoralis institutiones. Spengleri* instructio *parochi*, *d' Abreu* speculum parochorum, *Possevini* praxis curæ pastoralis, *Lohneri scripta*, *Herzigii* manuale parochorum *et his similes in hanc librorum classem referendi non sunt. Casuisticam, ut vocamus, tradunt potius, quam solidam prudentiam pastoralem; et eorum effata, sæpe admodum incerta, nituntur præcipue casuistarum celebrium auctoritate.*

XX.

Imperante Augustissima Theresia, cujus illustria in Theologiam merita nulla ætas obliviscetur, novam omnino formam apud nos induit Thelogia pastoralis; mandavit quippe, ut, quod ad id tempus minime usitatum fuerat, omnia, quæ ad pastorale munus gerendum proprie referenda essent, a ceteris Thelogiæ partibus secernerentur, et in omnibus academiis proprie dicta Theologia pastoralis traderetur. Quòd vero maxime inconcinnum est, peregrino sermone docere scientiam practicam, ad cujus usum vernaculus adhibendus est sermo; prælectiones patria lingua ut haberentur, imperavit; quod anno 1777 in academia *Viennensi* fieri cœptum est.

XXI.

Quo ex tempore plures etiam libri didascalici a pro-

fessoribus publicis conscripti fuerunt; nempe *a*) *Institutio ad Theologiam practicam, ad normam præscriptam a Viennensi studiorum Præfectura concinnata, et in usum prælectionum publicarum redacta a Francisco Christiano Pittrof Theol. past. professore b*). Institutiones Theologiæ pastoralis compendiosæ, ad normam præscriptam a Cæsareo-regia studiorum commissione exaratæ a Iosepho Louber, Theologiæ pastoralis professore *c*). *Theses ex Theologia pastorali pro norma prælectionum academicarum, auctore Fideli Wegscheider. Friburgi in Brisgovia* 1777 *d*). *Horuat* pastoralis Theologiæ Tomi III.

## XXII.

Protestantes multo ante Theologiam hanc in academiis docuerant, prodierantque etiam apud eos multa de hac disciplina volumina. Recentiora in usum esse possunt sequentia.

*a*) Petri Roques forma ministri evangelici; opus translatum ex gallico a Friderico Eberardo Rambach tom. 3, noviss. edit. Hal. 1768 8 mai.

*b*) Christophori Timothei Seidelii Theologia pastoralis adaucta a Frid. Eb, Rambach. Lipsiæ 1769. 8.

*c*) Ioannis Iacobi Plittii Theol. pastoralis. Francofurti 1766.

*d*) Ioannis Frider Iacobi additamenta ad Theol. past.; sive regulæ, et specimina in usum tironum, editio tertia. Hanov. 1774, pars secunda 1782.

*e*) Ioan. Petri Milleri Institutio ad prudentem et religiosam administrationem ministerii evangelici. Lips. 1774.

*f*) Ioan. Georg. Rosenmülleri Institutio pro tironibus ad sapientem et religiosam muneris sui administrationem. Ulmæ 1778.

*g*) Patrioticus concionator campestris; sectiones

quatuor. Lipsiæ 1779-84. 8. mai. editore Io. PETRO MILLERO; auctore autem, velut palam jam est, Io. HENRICO RESSIO, superintendente, et archidiacono *Guelpherbiti.*

*h*) Georg. Frid. Seilerii Principia ad formandum futurum animarum Rectorem. Erlangæ 1783 *).

*) *Annotationes præclaras habet Præpositus* Spalding *in suo libro de utilitate ministerii sacri ejusque progressu, secunda editio*, Berolini 1773. *Singulares vero illi inseruit opiniones, quæ multos contra eum excitaverunt adversarios. Conferatur cum eo: Supellectiles pro suggestu sacro*, Altdorfii, et Norinbergæ 1774. *cujus operis auctor est* Dœderleinius; *item* Commentationes de utilitate ministerii sacri præsertim ruri, et de ea promovenda. Tom. III. Lipsiæ 1773-80. 8.

## XXIII.

Majoris molis volumina huc pertinentia sunt, præcipue Ephemerides pro concionatoribus: Halæ 1770. Continuatur inde ab illo anno Concionator campestris); cuius prodiere hactenus *Nordlingæ* volumina quinque, editore *Langio.* Plurima eaque utilissima habent: Elucubrationes ad communem utilitatem collectæ ex scriptis recentissimis, quæ circa religionem, mores, vel emendationem generis humani versantur. Continuantur ab anno 1776.

## XXIV.

Nunc etiam comparet hæc *manuductio*, secta in duas præcipuas partes. Sacri enim pastoris munus, ut mea fert opinio, in duo capita, sive duas proprias functiones concluditur. Populus quippe, beatus ut sit, debet viam, qua ad felicitatem itur, nosse, et quod bonum est exercere. Itaque opus est, ut doceatur moneatur-

que. Inde oritur docendi munus. Præterea cum omnia, quæ in sensus incurrunt, etiam, prout hominum indoles est, eorum cogitandi modum, atque animos varie afficiant, et ad emendationem ac ædificationem multum conferant: omnis religio ritus quosdam externos colit, et ceremonias. Oportet igitur animarum pastorem externum quoque religionis cultum cura sua complecti. De docendi officio agam in parte priori; de cultu religioso externo in posteriori. Duplex vero hoc munus is nequaquam obibit utiliter, nisi necessarias ad id dotes possideat, ac omnia, quæ ad finem hunc conducunt, accurate præstet. Quare aut in appendice, aut si magis placet, in parte tertia de qualitatibus ad pastorale munus necesariis, ac de vita et moribus pastoris sacri agi poterit.

# PARS I.

## *De officio docendi, sive instructione in religione.*

## SECTIO I.

### *De religionis doctrina generatim.*

1.

Merito primum præ aliis animarum pastoris officiis locum tenet docendi officium. Id e magno pastoralis muneris fine, homines ad veram perpetuamque felicitatem perducendi, proxime sequitur. Quæ ut obtineatur, ipsam et ejus vias, quæ ad eam ducunt, probe nobis cognitas esse oportet. Cognitioni huic obsistunt ignorantia, falsæ, obliquæ, obscuræ ideæ, et dictamina sinistra de Iesu Christi doctrina. Servatoris nostri facta tribus annis populum cœlesti doctrina instruentis, mandatum omnes gentes docendi *) apostolis datum, ea, quæ ipsi apostoli fecerunt, quæque discipulis suis severe ac graviter præceperunt **), sint omni, qui munus suum præclare obire studet, exemplum, sint stimulus atque calcar.

*) *Matth. XXVIII. 19.*

** ) 2. *Tim*. *IV*. 2. *Act*. *XX*. 25 *et seq.*

2.

Absurde agerem, hîc movere quæstionem si vellem, utrum parocho proprio sibi subjectos aliis docendos committere, et parochiæ suæ commodis ac fructibus frui liceat; an vero ipsemet eos erudiat, necesse sit. Nunquam sane, siquis muneri ob præclaras dotes præficitur, quæ ad id egregie sustinendum necesariæ sunt, in disceptationem vocatur; utrum perinde sit, per se alium conjuncta cum munere officia explere. Non eadem ab alieni sive mercenarii voce, quæ a proprii pastoris necessaria decorati institutione bona speranda sunt.

3.

*a* ) Virum, qui munus suum fide integra, ardentique studio administrat, magni semper faciet populus, diliget, et monitis ejus obtemperando, ceu jucundo præmio labores ejus remunerare in dies studebit *b* ). Novit proprius pastor, quæ in grege sint bona, quæ mala. Novit ovium imbecillitatem et pericula. Novit illas intus, et in cute. In eum igitur modum, quem earum conditio, ac indigentia postulat, easdem poterit docere *c* ). Quod si alieno hanc provinciam tradit: cœptus informationis ordo interrumpetur. Dicentur multa intempestive, quæ posteriori tempore majore cum emolumento dicta fuissent. Quin etiam timendum est, ne id, quod proprius pastor multo labore exstruxerat, alienus suis, quas adamat, quibusque firmus inhæret, doctrinis suffodiat ac evertat, et in errores trahat populum. Exstant hac super re decreta plura. Inter alia concilium *Tridentinum* primatibus, archiepiscopis, episcopis, curatis, et omnibus animarum

curam habentibus præcipit, ut ipsimet populum doceant, *) præterquam *a*) si aut urgens necessitas, aut *b*) quæ superiori potestati debetur obedientia, aut *c*) manifesta ecclessiæ aut reipublicæ utilitas parochi a parochia absentiam exposcet. Hoc casu cura suscipienda est ei, ut virum nanciscatur idoneum, qui absentis partes cum fructu sustineat.

*) Sess. V. cap. 2. *de reform.*

4.

Qui diceret: *plebs scientiâ, quæ est ei necessaria, satis superque instructa est, et in iis, quæ non intelligit, culpâ vacat*; is se non satis intelligere, hoc esse christianorum officium, ut in cognitione et pietate progresus semper faciant, et quæ notitiæ e religione haustæ in hominum vitam, peculiaresque actiones influant, sibi perspectum non esse manifestaret. Quem ignorantia in errorem duxit, eum non errasse, quis dicat? Si qui in errorem inducuntur, quod non melius, ut oportuisset, edocti fuere; pastoris desidia culpâ non vacat. Nec momentum aliquod habet hæc querela, *multos e plebe esse stupidos, tardos, plumbei ingenii.* Id genus etiam hominum fuit, quod Christus, et apostoli docuerunt. Amor cum comitate et prudentia conjunctus ingenia et animos duros tandem emollit. Nec labore supersedendum est, si cœptis non semper speratus eventus respondet. Qui hoc causatur, *se vacuum esse dotium, quas docendi munus postulat*; is aperte fatetur, ipsum sese indignum, qui hoc munere fungatur, certo judicare. At inquirendum primum fuerat, an non plus difficultatis ac laboris, quam revera est in hoc munere, cogitatione ipse sibi finxerit.

5.

Cum sacrum docendi munus hoc unum propositum sibi habeat, ut eam doctrinam tradat, eaque officia animis inculcet, quæ ad felicitatem sempiternam viam aperiunt; vocari in dubium non potest, quin Iesu Christi, ejusque apostolorum doctrina, quæ solos beatos nos efficit, pura, incorrupta, et ut veritas postulat, proponenda sit. Falsæ sacrarum litterarum expositiones, miracula non approbata, aut ficta, apparitiones, revelationes, historiæ etc. decipiunt et in errorem rapiunt; tantum abest, ut hominum mentes utiliori luce collustrent. At dices: hoc rarum genus e plebe homines ad salutaria consilia sæpe impellit. Verum, ut vere bona sint, atque perdurent, quæ facere decrevimus, veris rationibus oportet esse firmata. Piæ enim hæ fraudes, quocumque demum tempore detectæ, veritati nocent quamplurimum. Omnia enim vocantur in dubium, et incerti animi, ne decipiantur, metuunt. Fabellis, quæ sacro huic muneri dedecori sunt, ad persuadendum ne utantur animarum pastores; neque se, ut quondam falsorum numinum sacerdotes, ad inania commenta convertant; perinde ac si veritas a nobis haud staret. Iesus, cujus doctrina populo exponenda, *veritas ipsa est* * ); venitque in mundum, *ut testimonium perhiberet veritati* ** ). Apostoli ad magistri exemplum fabulas non secuti, quæ certa audiverant, aut suis ipsi oculis viderant, annuntiabant; confessi palam, se nihil posse adversus veritatem, sed pro veritate ***). Sollicite tandem monet *Titum* PAULUS, ut ineptas, et aniles fabulas devitet; vultque verbum esse sanum, et irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens dicere de nobis. **** )

* ) *Matth. XXII.* 16.

**) *Ioann. XVIII.* 37.

***) 1. *Io. I.* 2. 3. *Petr. I.* 16. *I. Tim. IV.* 7. 2. *Cor. XIII.* 8.

****) *Tit. II.* 18.

6.

Hac de causa in docendo removeantur omnia, quæ tantum ad sciendi cupiditatem explendam valent, aut inutilium rerum formis cerebrum implent. Materia itaque, de qua sermo habetur, fructuosa sit, atque ad hominum felicitatem spectet, necesse est. Quod si de necessitate sacræ cujusdam doctrinæ judicandum, aut quantum in ea momenti sit, statuendum est, inquiratur quid illa efficiat, ut homines christianæ legi satisfaciant, tranquilli animis sint, et ad bonam frugem sese recipiant *).

*) *Maximi momenti est admonitio, quam impertitus est* Paulus Timotheo, *cohortans eum, ut id genus hominum, qui religionem depravant, vigilanti cura observet; atque christianos moneat, ut ne judaicis* fabulis et genealogiis interminatis *locum aut assensum præbeant; siquidem non suppeditent nisi ansam inutilibus controversiis; tantum abest, ut ædificium Dei, religionem aut veram pietatem fide firment promoveantque.* Finis, *inquit*, legis, omniumque præceptorum charitas est de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium; volentes esse legis doctores: non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. 1. *Tim. I.* 3-8.

7.

Ex quo consequitur, eos officium integre non præs-

tare, tempus operamque male perdere, qui difficiles et intricatas quæstiones theoreticas, quibus sæpius in scholis tempus inutiliter contere.atur, et ingenia obruebantur, in medium afferunt, aut infimi ordinis hominibus ea proponunt, ad quæ intelligenda acrior mentis investigatio, et subtilis multarum rerum cognitio necessaria est. *Non per difficiles nos Deus quæstiones ad beatam vitâm vocat.* *) Salvator, et apostoli, quibus singulari erat curæ omnia docere, quæ ad fidelium felicitatem conducunt, de rebus innumeris nihil decernebant, de quibus postea superbi, et acuto ingenio sese omnia perspicere rati theologi, disceptando, se aliosque miserrime discruciarunt. **) Non est cur nos pudeat, fateri cum apostolo, in rebus divinis nos tantum ex parte cognoscere, et videre nunc per speculum in ænigmate. ***)

*) *S. Hilarius de Trinitate.*

**) Paulus *sollicite hortatur* Timotheum, *ut difficiles verborum nugas evitet, quæ multis verti in perniciem possunt. Monet, ut veritatem puram atque sinceram prædicet, missis inanibus, ac serio veritatis cultore indignis subtilitatibus; quæ nonnisi contentiones excitant, atque lites.* 2. Tim. 11. 14. 15. 23.

***) 1. *Cor. XIII.* 12.

8.

Ideo etiam errarent illi, qui controversias theologicas, de quibus inter eruditos tantum contenditur, sua commenta, scholarumque opiniones ad populum, qui ab ipsis docendus est, proferrent. Christianis hæc facem in religione non præferrent; tenebras multo magis offunderent; quippe qui nescirent, quæ pro-

banda essent, quæ rejicienda; immo fieret, ut scholasticas opiniones æque ac divinam doctrinam acriter propugnarent, et factiosus magistrorum spiritus plus illos animaret, quam spiritus Iesu Christi. Homini christiano, dum vivit, et vitâ cum excessit, beatus ut sit, satis est ea tantum vera censere, ea probe intelligere ac exercere, quæ a Deo revelata, et quæ semper, quæ ubique, quæ ab omnibus, ut certa et minime dubia christianis fuerunt proposita. Nihil est, a quo pacis præconem magis alienum esse deceat, quam a contentionum et factionum studio; nihilque est momenti gravioris, quam monitum apostoli: Si quis, inquit, aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. *)

*) 1 *Tim. VI.* 3-6.

9.

Hic vero de veritatibus religionis, quas *theoreticas* dicimus, sermo non est. Bene discernenda sunt dogmata theoretica revelatione divina firmata a subtilibus inutilibusque quæstiunculis. Omnium certe permagni interest, cognoscere omnia, quæ de suis perfectionibus, de præparationibus ad hominum felicitatem, de suis consiliis, decretis etc., Deus revelavit: hæc enim jugiter in christianorum facta, atque in animorum sensus multum influunt; et ut fideles ad virtutis studium pertrahantur, plurimum pollent: quid? quod necessariæ sunt cognitiones doctrinarum historicarum, dogmaticarum, theoreticarum, rerum gestarum narrationes, expe-

**

rientiæ, promissiones, comminationes etc. Dum vero hæc afferuntur, ad auditorum conditionem accommodanda sunt, et quantum ad animorum quietem, ac emendationem valeant, quasi oculis subjiciendum est. Id faciebant apostoli, cum de prædestinatione, de hominum corruptione, de resurrectione etc. verba facerent *).

*) *Vid.* Tollneri dissertationem in Diario pro Concionatoribus, tom. 5. §. 570.

## 10.

At non theoretica duntaxat sint, quæ animarum curam gerens doceat; præcipue, et plurimum loquatur de christiani hominis officiis, regulisque recte vivendi. Gravissimum hujus sententiæ argumentum est Servatoris exemplum. Sæpe, ac impense, ut, quæ docebat, facerent, et ad virtutis præscriptum vitam traducerent, auditores monebat; theoreticis non adeo immorabatur. Maximam sacrarum litterarum partem occupat doctrina moralis; longe minorem dogmatica.

## 11.

Qui vere emendare homines, eosque ad virtutem, ac vitæ sanctitatem formare satagit, ejus industria et intellectum et voluntatem audientium spectet; sive quod idem est, ut moveat, enitatur. Si ad solum intellectum confert laborem, homines quidem reddet intelligentiores; sed non ideo meliores. Hoc revolvamus animo, quod apostolus de summo scientiæ gradu caritate actuosa destitutæ scribit *). Qui vero movere, et voluntatem emendare conatur, quin intellectum illustret, is agit contra proprietates, et progressum facultatum humanæ mentis. Voluntas enim impellitur rationibus, quas intellectus cognoscit et perspicit, agitque, ut iis cognitis intellectus convincatur.

*) *Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* 1. Cor. XIII. 2.

12.

Ut illuminetur intellectus, necessaria est cognitio, et persuasio (convictio), sive necesse est, ut christianus habeat de iis quæ religionem attinent, rectas, accuratas, et adæquatas notiones, atque ut cognitæ ei sint rationes, quibus religionis suæ dogmata aut officia innituntur. Paucis: oportet eum scire, quid, aut cur quidquam verum esse existimet; quid sibi, aut cur hoc, cur illud sibi sit faciendum. Utrumque docendus est a suo pastore.

13.

Distinctæ notiones ut in auditorum mentibus formentur, admodum utile ac necessarium est omnium, quæ plebejis hominibus, dum docentur, obscura videri possunt, verum sensum ob oculos ponere. Nec minus oportet, semper intueri hominum captum, et acquisitam ad id usque tempus cognitionem, neque ea perspicua, et plana existimare, quæ in cogitando exercitati, et multa scientia imbuti, facile mente complectuntur, ac intelligunt; aut quæ per se intellectu facillima videntur. Liquet ex his, quam necessariæ, dum christiana institutione populum formamus, sint explicationes, et quam sæpe usurpandæ. Obscuritas vero est aut in vocabulis quibusdam religioni propriis, aut sacræ scripturæ locis, in dogmatibus, aut historiis etc. Hinc patet, quid explicationes verborum, rerum, scripturæ, dogmaticæ, historicæ etc. sibi velint.

14.

Præcipue de explicationibus regulæ ex logica et rethorica notæ sunt( 1 . Non diu immorandum est explicationi verborum, quæ nemo non intelligit. Id qui faceret, perturbaret auditorum attentionem, et tempore male abuteretur, 2 ) Eruditæ ne sint, et longius petitæ explicationes. Præberetur enim audientibus suspicio, malle doctorem ostentare, et venditare suam scientiam, quam rudes erudire. 3 ) Utatur verbis perspicuis, abstineat ambiguis, peregrinis, iisque loquendi modis, qui in sermone patrio usitati haud sunt. 4 ) Absit concisa, et nimis adstricta philosophica brevitas, ac inanis verborum strepitus, tautologiæ, et male adhibitæ ambages oratoriæ.

15.

Solæ *explicationes*, ut homines, quales nunc sunt, omnia quæ dicuntur, clara in luce videant, plerumque non sufficiunt. Fere enim in iis haud ea mentis vis est, ut ipsi sibi claras distinctasque notiones de objectis abstractis effingant; interdum segniores sunt, quam ut mentis vires ad id intendant. A sensibus igitur et imaginandi vi, intellectum ut adjuvent, subsidium paret. Rebus quas docet, quamdam quandoque vitam ac sensum tribuat, ut eo modo, cui vulgus a teneris ita educatum assuevit, propositæ, quasi ante oculos versari videantur. Hoc per *illustrationes* fit.

16.

Optime sæpe res quædam illustratur, si illa, quæ reapse quidem diversa sunt, in aliquibus tamen similitudinem habent, et in una imagine repræsentantur; quod fit per *exempla*, vel per *inductionem rerum singularium*, *narrationes*, *parabolas*. Hic illustrandi mo-

dus passim in sacris litteris, atque in primis in sermonibus Iesu invenitur. *) *Exempla* et alia, quæ afferuntur, extraordinaria ne sint, neque obscura, neque a veritate aliena, neque prolixa cum omnibus rerum adjunctis, ad rem non pertinentibus. Ad comparationes seligantur illa, quæ auditoribus nota jam sunt, et quæ revera inter se habent similitudinem; nec ultra procedatur, quam ipse comparationis finis, et id, quo similia sunt, postulat. A crebris allegoriis et metaphoris abhorret temporum nostrorum, regionumque gustus. *Opposita* quoque quæ multum lucis afferunt.

*) *Tum alibi, tum Luc. X. 30. seq. Matth. XIII. 3. seq.*

17.

Inter illustrationes censentur etiam *sententiæ*, vel propositiones, quæ universalem magnique momenti veritatem continent, et testimonia sive effata virorum gravium; licet hæc plus valeant ad confirmandum, quam ad illustrandum, eo quo hic illustrationem sensu accipimus. Sententiæ aut e sacris litteris promuntur, aut sunt proverbia, aut a nobis ipsis inveniuntur. Hæ sententiæ ad scopum accommodatæ ut sint, habeant sensum certum et definitum; sint breves, dilucidæ, graves, magni ponderis, minime plebejæ. Ne sententiæ sententiis accumulentur, cavendum. Quæ e sacro codice proferuntur testimonia, apud auditores christianos omnem firmi argumenti vim habent. Humana testimonia pro suo fine sint sumpta a viris, qui magna apud omnes existimatione valent, eâque dignissimi sint. Versibus, fabulis, profanorum scriptorum testimoniis raro et parce locus est, dum fidei christianæ præceptiones exponimus: vix unquam, dum publice verba ad populum facimus. *)

*) Braunii Institutio.

18.

Ad emendandum intellectum porro pertinet *persuasio* (convictio). Convincimur autem, cum rationum pondere intellectus eo adducitur, ut doctrinam quandam veram esse, certus reddatur. Certus vero redditur, si ostendimus, ea, de quibus sermo est, aliis certis veritatibus congruere. Rationes, quibus hæc certitudo efficitur, sunt *argumenta probantia.*

19.

Fides ac spes christianorum firmis et immobilibus fundamentis inniti debent. Nam et Apostolus exposcit cultum rationabilem *). Et christiani parati semper esse debent ad satisfaciendum omni poscenti eos rationem de ea, quæ in eis est, spe viva **), ut jam non sint parvuli fluctuantes, et circumferantur omni vento doctrinæ ***). Oportet igitur argumenta, quibus in docendo utimur, logice esse certa, et firmissima.

*) *Rationabile obsequium.* Rom. XII. 1.

**) 1. *Petr. III.* 15.

***) *Ephes. IV.* 14.

20.

Id semper in animo est habendum, plerumque, dum populum docemus, non adesse homines doctos; sed eos, qui non multum in rerum contemplatione versati sint, et qui exquisita, et subtiliter excogitata argumenta capere, aut ad scholasticam normam syllogismos contexere haud queant. Rationes itaque eo proponantur mo-

no, ut auditor non possit non intelligere argumenta, et eorum vim perinde ac oculis perspicere, et sentire. Absit nuda pumice aridiorum syllogismorum series. Dilucidationes variæ in subsidium vocentur. Exempla argumentorum dilucidorum, et a rebus sub sensum cadentibus ductorum, in evangeliis et apostolorum scriptis extant quam plurima.

21.

Probamus, cum doctrinam propositam cum aliis, quæ vera sunt et indubitata, convenire ostendimus (§. 18). Christiani vero nostri id verissimum judicant, quod recta ratio exemplis experientiæ et proprii sensus, testimoniisque sacrarum litterarum confirmatum, et auctoritas universalis ecclesiæ ceu veram doctrinam proponunt. Manifestum hinc est, unde petenda sint argumenta, dum populum informamus, ex sacra scilicet scriptura, universali de religione doctrina, et ratione.

22.

Rationibus solidis, necesse est, ut firmata sint nostra in docendo argumenta (§. 19). Ex quo consequitur, ea tantum e divinis litteris ad probandum adducenda esse loca, quæ dogma probandum aut secundum litteram continent, aut ex quibus illud legitimis conclusionibus deducitur. Qui religionis dogmata mysticis explicationibus, significationibus allegoricis, aliisque id genus accommodationibus superstruit arbitrarie, verbo divino perverse utitur, id adulterat, et sui aut alieni ingenii commenta ceu fundamenta jacit, quibus argumenta ad demonstranda religionis dogmata nitantur.

23.

Afferuntur sæpe e divinorum scriptorum monumentis loca idonea, in quibus occurrunt dictiones obscuræ.

Hoc in casu illæ explicandæ sunt, secundum regulas supra (§. 13.) præscriptas; tum demum adhibeatur applicatio, aut declaretur, quomodo dogma aut officium aliquod demonstrandum, ex illo loco fluat. Quod si locus ille perspicuus est, et facile potest intelligi, ad orationis siccitatem et jejunitatem evitandam illustratione aut periphrasi uti licet.

24.

Universim de probationibus ex sacris litteris hæc sunt observanda: 1) *Multa sacræ scripturæ loca immodice ne congerantur.* Nam sine expositione aut accomodatione pronuntiata perspicuitate carent ac vi, quæ argumento omni ad persuadendum sunt necessaria. Singulæ vero sententiæ si secundum dicta (§. 23.) explicantur et accomodantur, multitudine obtundent, et perturbabunt auditorum mentes, aut quo minus fructum ex iis percipiant, impediet temporis brevitas. Hac ex regula sequitur insuper: 2) *E pluribus semper seligantur maxime claræ et perspicuæ sententiæ.* Paucæ quædam eæque graves et captu faciles, cum illustratione atque accomodatione propositæ plus adjuvant plebejorum memoriam ut teneant, et intellectum, ut capiant, quam multæ fastidium creantes e quodam parallelarum vocum indice (*Concordantiam* vocant) congestæ, quarum copiâ et mole dicentis juxta et audientis memoria miserandum in modum torquetur. 3) *Abstinendum etiam dum aliæ sententiæ inveniri possunt, ab iis, quibus nonnisi per longius arcesitas explicationes, prolixas cum aliis collationes, longasque ratiocinationes etc. argumentum ad persuadendum utile efficitur.* *)

*) *Vid.* Moshemii instructio, pie et cum fructu concionandi, pag. 155.

25.

Communis omnium Ecclesiæ doctorum et conciliorum de dogmate aliquo per cuncta sæcula consensus, nostræ religionis sectatoribus validum theologicum argumentum suppeditat. Verum notanda est magna inter dissertationem theologicam, et institutionem plebeji populi differentia. Dum enim erudimus plebem, fieri haud potest, ut per singula sæcula colligantur argumenta, et omnia testimonia, quæ ad veritatem cujusdam propositionis demonstrandam exquiri possunt, coacerventur. Universim sufficit, communem Ecclesiæ doctrinam, peculiaribus omnino quibusdam casibus exceptis, allegare *). Loca ecclesiæ patrum, ceu virorum magna auctoritate illustrium testimonia, ad illustrandum et confirmandum afferri possunt; (§. 17.) sed singula, ut notum est, proprium argumentum non præstant.

*) Braunii Institutio.

26.

Argumenta a ratione sumpta, id est, ea quæ non auctoritate, sed rebus ipsis, experientia universali, communique hominum sensu etc. nituntur, nequaquam inutilia sunt. Religionis nostræ auctorem nihil docuisse, quod a sana ratione alienum sit, indoctæ multitudini ostendunt, eficiuntque ut ad proposita dogmata et officia propendeat magis, si ea sua ratione, sua experientia, sua conscientia intelligit stabilita. Doctos vero convincunt ut doctrinæ Christi obediatur, rationis usum nequaquam esse abjiciendum; sed rationi illustratæ cum religionis christianæ præceptis institutisque esse posse consensionem ac societatem.

## 27.

Quod christianus rectum esse cognoscit, id ei etiam faciendum est. Quare animarum pastorem non decet tantum ut doceat et persuadeat; sed etiam ut bonos in animis excitet motus, et ad salutaria proposita impellat, et efficiat ut voluntas bene semper operetur, aut ad bona inclinet animus. Hæc vero tantum figuris vehementioribus, artificiis rethoricis, scholarum regulis de excitandis et comprimendis affectibus perfici non posse, satis intelligitur.

## 28.

Ut bonum aut malum hominum voluntati proponitur, sic in illud pro sua natura fertur. Itaque ut voluntas bene agere studeat, ostendendum est ei bonum, quod aut cum virtute et integritate generatim, aut cum actione una conjunctum est. Contrà vero mala et damna quæ sceleratas affectiones et facta consequuntur, dilucido, gravi, atque ad sensus accommodando sermone enucleate ac singulatim explicanda sunt. Hoc quidem fit, dum aut sola virtutis vel sceleris forma, aut cum suis effectis consideratur. Virtus cum omni suo decore, cum suis illecebris, cum suo pretio ceu amore dignissima monstratur; scelus e contrario in sua fœditate, falsi ci, qua hominum oculos et mentes perstringit, specie nudata in conspectum producitur, aut male factorum pœnæ, et virtutis felicitas in effectis clare exhibentur.

## 29.

Virtutis præstantia, et sceleris turpitudo 1) *in abstracto*, ut scholæ loquuntur, ne proponantur. Major enim hominum pars, sive vulgus, res a sensibus abs-

tractas minus recte intelligit. Quo clarius sive bonum, sive malum repræsentatur, et quo magis illorum imago sub sensus cadit, eo vehementius commovetur voluntas. Virtutes et vitia ceu personæ quædam exhibeantur. Sic avaritia in avaro, liberalitas in homine benefico conspiciantur 2). Honestum et turpe ab ea omnino parte ob oculos ponantur, qua vel universim cum humanæ voluntatis inclinatione atque indole, vel cujusque speciatim concordant. Sic superbo declaratur, dum laudem atque plausum aucupatur, suos mores eum apud mortales ceteros in contemptum adducere etc. *).

*) Diarium pro Concionatoribus, t. 2. pag. 399. 400.

30.

Effectus, qui ex bene vel male cogitatis aut factis sequuntur a), quo majores et graviores sunt b); quo certius impendent c); quove minus evitari possunt d); quo proprius instant, quo acrius præsentiuntur, et quo vivide magis proponuntur, eo altius descendunt in animum, eumque concitant *).

*) Spaldingii Dissertatio de vera pietate præcipuo concionum sacrarum scopo; *In diario pro concionatoribus*, t. I. pag. 1. et t. 2, pag. 393. et seq.

31.

Rationes, quibus efficitur, ut voluntas aliquid ceu bonum amplectatur, vel ceu malum aversetur, sive *argumenta moventia* sunt eæ veritates, quæ ad hominis felicitatem, aut miseriam attinent; sive sint e sacra scriptura, sive e ratione depromptæ. Exempla etiam, et historiæ sunt utilia subsidia, quibus movetur voluntas, ut amet, quæ bona sunt, faciatque. Excitant enim iam-

tandi studium. Sed, qui his auxiliis utuntur, nunquam non meminerint, *a*) ea, quæ docent, veritate oportere niti. (§. 16.) Veræ igitur tantum historiæ sunt afferendæ. *b*) Sumantur præterea exempla ab hominibus, quos imitemur, revera dignis. Res ab iis gestæ habeant reapse morale pretium a vera virtute, non fucata ejusdem specie natum. * *c*) Exempla hominum, qui inter vivos adhuc superstites sunt, non passim, aut ubilibet, et non sine magna cautione adducenda sunt. Plerumque enim tantæ non sunt auctoritatis, quanta apud nos valent, qui dudum vita migrarunt. Sæpe etiam quæ iis inhærent labes magis, quam præclaræ dotes, hominum oculos in se convertunt. Maxime caveat sacer pastor, ne ipse se ut exemplum proponat. *d*) Demum ejusmodi exempla non nude, et jejune; sed cum necessariis rerum adjunctis exponantur. Præ aliis exempla e sacris litteris prolata esse utilissima, non est necesse ut moneamus.

*) *Ad hanc classem sine dubitatione referre licet nimis horridam et austeram vitæ rationem, quam nonnullos Sanctos secutos fuisse narrant scriptores quidam in libris, quos* Legendas *appellarunt; item sinistre intellectam omnis humanæ societatis fugam. His rebus deterrentur quidem prudentes, simplices vero ad falsam pietatem pelliciuntur.*

32.

Etsi, dum ad populum verba facimus, non sola affectuum ope metam contingimus; tamen non tantum licet, sed multum etiam expedit, eos commovere. Subita impresione dum occupant auditoris animum, id præstant, ut, quæ afferimus, argumenta celerius eumdem moveant, ac expugnent. Proposita etiam veritas eo acrius memoria repetitur, quo vehementiore vi per affec-

tus in animum penetravit. BRAUNII *) adnotationes de modo concitandi affectus perutiles sunt. *a*) Qui aliorum animos commmovere parat, is jam antea commotus sit, veritatis vi ad hoc adductus. Animus noster sibi objectas species acriter percipiens, vivideque sentiens, sua sensa optime exprimit; regularum adjumento animi motus in se aut aliis efficere qui connititur, operam plerumque ludit. *b*) In dicendo patescat auditoribus, gaudere nos eorum felicitate, miseriis indolere. Pro certo iis constet, nos non ceu in aliqua scholastica exercitatione, sed summo studio, ac ardentissimo amore eorum commodis intentos verba facere. *c*) Quæ ad movendum invenimus argumenta, nostra imaginandi vis intueatur, atque a diversis partibus contempletur. Tum ea in luce, qua nos vehementissime commovent, arripiamus. *d*) Denique respiciendum ad auditorum conditionem, varia rerum adjuncta, et propriam indolem animi. Non enim eadem omnes, sed alios alia movent. Qui animos quamcumque in partem impellere cogitat, nosse is debet homines universim, in primis autem suos. Hæc si observentur, ultro verba, phrases, figuræ etc. sese offerent.

*) *Institutio ad eloquentiam sacram.*

33.

Animarum pastorem, ut diximus, docere oportet ac movere. Utrumque vero cum fructu vix continget si amorem, benevolentiam, et attentionem sibi, dum docet, non noverit comparare. Ut placeat, ei quoque connitendum est. Ex quo sequitur, *elocutionem* et *pronuntiationem* non esse negligendam. Itaque sententiæ, verba, sermo, gestus et id genus alia necessariis non careant dotibus; sed quod tantum adjumento esse convenit, corpus id nobis ne sit. Scilicet docendum non est ut placeamus, sed placendum, ut doceamus. Potest

stilus esse venustus, nobilis, et numerosus; at multa arte non est perpoliendus sermo, neque cultus vi intrusus esse appareat. Oratio multo studio elaborata, et tumida, in qua ubique elegantiarum flosculi, gemmulæ, ac pigmenta enitent, auditorum attentionem ad externi ornatus corticem sapit, et a veritatis nucleo avertit. Sed ideo non sequitur, plebejo et insuavi sermone utendum esse ei, qui populum docet. Gravitas et majestas dogmatum religionis in nobili etiam dicendi genere compareat. Utrinque evitandus scopulus; hinc nimii cultus tumor, illinc plebeji stili humilitas. Nobilem in dicendo simplicitatem optime ostenderunt Christus, ejusque apostoli. *)

*) *Quo pacto eum in finem comparatas esse oporteat sententias, dictiones, voces una cum sermonis totius habitu ediscere licet ex* Braunio *et* Wurzio. *Vid. Diarium pro concionatoribus, t. 2. pag.* 395.

## 34.

Verissima illa regula docendi scopo, et audientium conditioni innitens, notanda in primis est et servanda illis, qui multa in scholis eruditione sese excoluerunt: nempe *sermo de religione sit popularis*, *) sive populi captui ita accommodatus, ut ab omnibus non possit non intelligi. Igitur quando ad plebem loquimur, removeantur omnia, quæ ex eruditionis, aut theologiæ penetralibus videantur allata. Vitetur sermo eruditis tantum familiaris, vocabula theologiæ, et aliis artibus propria, phrases Teutonicæ in habitu Hebraico, misticæ et nimis tumidæ loquendi formulæ, repræsentationes minus rectæ, quas nonnulli peculiare quoddam pietatis genus sectantes sibi fingere consueverunt. **)

*) *Si vocabulum in sensu latiori sumitur, illi qui*

*in dicendo* popularis *esse cupit*, *consulendæ sunt regulæ hic illic sparsæ. Vid.* Pfenninger de methodo populari in concionando.

**) *Quid hoc est*, (*inquit* Spaldingius dissertatione de vera pietate, in Diario pro concionatoribus t. 1.) *v. gr.* in Christi vulneribus quiescere, *aut* in Christi vulnera se abdere? *Ex impropriis his loquendi modis nascuntur ideæ sensuales, quæ in causa sunt, ut homines, quibus est vivida, inflammata, non sana imaginandi vis, varia mente concipiant, quæ sensui sacræ scripturæ adversantur. Utendum eo sermone, eo sermonis habitu, iisque repræsentandi modis, qui pro temporum consuetudine notissimi sunt. Spiritus divinus non operatur per verborum sonitum. Ipsæ sacrarum litterarum phrases, imagines, allusiones ex temporum usu sumptæ, non recens inventæ sunt ad linguam, quæ perpetuo vigeret, stabiliendam. Igitur sacræ scripturæ loca ut probe intelligantur, adhibenda est* 1) *periphrasis*; 2) *obscuriora notioribus verbis illustranda sunt. Vid.* Rouvitzii tractatum de simplicitate in tradendo verbo Dei, Diar. 1. 406. et Schmalingii Observationes relate ad conciones forenses.)

35.

Christianæ religionis dogmata connexa inter se sunt; et inter ea sunt præcipua quædam, et aliorum fundamenta, sine quibus reliqua neque facile intelligi, neque satis efficaciter inculcari possunt. Quare in docendo certus tenendus est *ordo*, et initium sumendum a rebus, quæ majoris sunt momenti: aliis priores, populo in primis necessariæ, et sæpe ignotæ quam maxime; atque ita porro progrediendum. Hunc vero ordinem ad mathematicæ methodi normam exigenda non esse, perspicuum est.

*

36.

Cum hac regula alia arcte conjuncta est. Doceantur homines modo qui eis maxime est accommodatus. Hoc æque de ipsa materia, ac de probationibus, explicationibus, argumentis moventibus, lingua, stilo etc. est intelligendum. Servatorem nostrum aliam dicendi rationem sequi quando cum *Pharisæis*, aliam quando cum *Sadducæis*, aliam quando cum discipulis, et aliam quando cum plebe loquitur, notum est. Longe diverso modo apostolus doctrinam de obtinenda felicitate annunciat ethnicis, quam Iudæis.

37.

Remedia ægro adhibet medicus, quoties iis opus est. Docet, monet, minatur pater, quoties his indigent liberi. Sic egregius animarum pastor non quæret ¿quoties per anni decursum ex legis præscripto mihi verba ad populum facienda sunt? quoties doctrinæ christianæ elementa juventuti oportet me exponere? Docet quoties se offert occasio; ad ægrotorum lectos, in schola, dum invisit domos etc. Hunc in modum perpetuo, assiduoque docet, et obedit apostoli monito: *) *Testificor coram Deo et Iesu Christo... Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina.*

*) 2. *Tim. IV.* 1. 2.

38.

Ut in omni populo magna est hominum diversitas; ita diversa sunt docendi genera. *a*) Sunt, quibus christianæ religionis dogmata exponenda, aut quorum inchoa-

ta cognitio est augenda. *b* ) Sunt quibus monstrandum, qua ratione virtutum ornamentis crescant. *c* ) Contra alii ad virtutis viam revocandi. *d*) Sunt mœsti, qui consolatione indigent. *e*) Denique sunt perniciosis erroribus imbuti, quos refellere necessum est. Animarum pastorem igitur oportet docere, hortari, castigare, consolari, redarguere. Ut singula probe fiant, et labor frustra non suscipiatur, regulas quasdam sequatur, quas prudentia præscribit. *)

*) *Vid S. Greg. M. Reg. Past. p. III.*

39.

Docenda, aut tractanda partim ea quæ, ad religionis theoriam, sive fidei doctrinam pertinent; (§. 9.) partim illa, quæ spectant exercitium, sive praxim, et hominum officia, ( §. 10. ) sive doctrinam virtutum (aretologiam). Si quæritur, quænam plebeji homines e theologia dogmatica maxime docendi sint; respondetur ( secundum §. 6. 7. 8. ) omnia, quæ eo spectant, ut christiani emendentur, tranquilli animo sint, et exerceant, quæ religio christiana jubet.

40.

Divina jura turpissime violaret, et animorum libertatem quam maxime læderet, qui humanum intellectum vellet cogere, ut quidquam fidei dogma esse crederet, quod esse, ex revelatione divina non constat. Igitur in docendo accuratissime secernantur certa minimeque dubia, et ab omnibus recepta dogmata ab iis capitibus, de quibus statuere, ut lubet, cuique licet. Nova vero fidei dogmata ne fingat, caveat qui populum docet. Qua in re plurimum juvat theologia dogmatica ab humanis additamentis expurgata, et solida.

41.

Cum dogmatica proponuntur, tria sunt observanda. 1) Danda opera est, ut auditoris menti insideant puræ, rectæ, determinatæ, et si fieri possit, distinctæ notiones; (§§. 13. 14. 15. 16. 17.) 2) ut dogma verum esse demonstretur; (§§. 18. 26.) 3) ut ostendatur, quid illius dogmatis causa faciendum sit, et quomodo inde emendatio vitæ, et animi quies nasci valeat. *)

*) *Hanc in rem utilis erit* Lessii *liber*: Christianæ relig. theoria ad usum communem, seu specimen theolog. dogmatico-practicæ. (*Vid. etiam Contensonii* Theol. mentis et cordis.)

42.

Fontes, e quibus notitiam Dei, ejusque perfectionum haurire licet, duo sunt, ipsa natura, et sacræ litteræ. Eximia adeo rerum naturalium, quæ nos quotidie circumstant, pulchritudo, admirabilis earum ordo et varietas, celerius et firmius mentem animumque impellunt ac movent, quam argumenta omnia, quæ ex logica, et metaphysica petuntur. Sacra scriptura sæpe res creatas nobis ante oculos constituit, cum Deum ut adoremus, laudemus, et amemus, hortatur. *) Imperitum utique vulgus in interiora astronomiæ, chymiæ, botanices etc. adyta ducendum non est. Fines, causæ, effecta rerum, quas quotidie, et ubique sensibus percipimus, enodatius si explicentur, satis valent, ut vel infimæ plebis homines immensi numinis potestatem, et gloriam, quæque inde oriuntur officia agnoscant.

*) *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et*

*nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Ps. XVIII. 1-4. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, que facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas.* Rom. I. 20. *Vid.* fervida exhortatio ad omnes ministros evangelicos, ut divinam religionem nude proponant, in Diario pro concionatoribus I. 30. *Tollneri* responsio ad datam sibi admonitionem. Diar. III. 408. Koppe iterata admonitio, Diar. IV. 254. Sturmii de operibus Dei in hac rerum natura Halæ 1775. Collectiones quarundam concionum de majestate Dei in hac rerum natura, auctore Gabriele Mosche, Francof. ad Mœnum 1774. Conciones de operibus divinis in hac rerum natura, colectiones duæ, Halæ 1774.

43.

A prima ecclesiæ christianæ ætate, usque ad infausta illa tempora, quibus omni conatu id agebatur, ut divinum verbum de vulgi manibus extorqueretur, sacra scriptura præcipuus, e quo christiani salutis scientiam haurirent, liber existimabatur. Parochus itaque magnopere studeat, ac laboret, ut sui satis cognita habeant sacra volumina, historiam, quam *biblicam* vocamus, *) characteres, sive mores hominum **) in sacris litteris occurrentium, contenta in iis documenta, et dogmata, moralesque sententias. Quæ docet, divino verbo stabiliat; inde semper, fieri si possit, hauriat argumenta, obscura nunquam non dilucidet; sacros codices crebro ut legant, hortetur, utilemque legendi modum ostendat ***.).

*) *Habemus veteris testamenti historiam conscriptam* a Mesenguy; *cujus etiam exstat epitome; item*

*a* Sacy, *sive* Royaumont. *A protestantibus eo de argumento novissime elaborata, notissimaque scripta sunt*: historia Patriarcharum, auctore. Io. Iac. Hessio, qui etiam in lucem edidit historiam Iesu. (Extat etiam Historia Moysis, eodem auctore. Historia Iosuæ et Iudicum) Historia Davidis, et Salomonis, Tiguri 1781. Appendix de doctrina, factis, et exitu Christi Servatoris nostri, ibid. 1781. Historia, et scripta Apostolorum Iesu.

**) *Unicus, et singularis liber in hoc genere est*: characteres Biblici auctore *Augusto Hermanno Niemeyer*, Halæ.

***) *Decreto Cæsareo regio* 10. *Aug.* 1781. *ne parochianis sacra Biblia approbata auferantur, prohibitum fuit.*

44.

Christianæ religionis veritates theoreticæ referuntur præcipue ad doctrinam *a*) de Deo, et creatione, *b*) de humani generis redemptione, nostræque salutis restitutione, *c*) de pœnis et præmiis, quæ post mortem nos manent. Ut aliquo modo generalium harum regularum usum in aliis instruendis ostendamus, pauca hic annotabimus.

45.

*Dei existentiam*, ejus majestatem ac eminentiam, perfectiones ejusdem sive proprietates, ex admirando, qui in hac mundi machina est, ordine, rerumque creatarum pulchritudine demonstrare clarissime, et quasi oculis subjicere licet. Ex ejus perfectionibus sive proprietatibus, quid agendum hominibus sit, si declaretur, multum id ad pietatem valet. Earum quædam, ut ejus unitas, æternitas, omnipotentia, rerum omnium scien-

tia, natura corporis expers, præsentia in omnibus locis, rationes ad virtutem stimulantes suggerunt. Aliæ ut sanctitas, sapientia, justitia, fidelitas, clementia, benignitas pulcherrima præbent exempla, ad quæ ceu normam perfectissimam homines suas actiones, quoad circumscripta mortalium natura patitur, dirigant.

46.

Dum de divino *Patre*, *Filio*, *et Spiritu Sancto* sermo nobis est, dogma 1) hoc ne conemur argumentis illis stabilire, quæ pro certis et indubitatis non habentur. Hujus generis sunt inter alia illa, quæ ex antiqui fœderis voluminibus desumuntur. *) 2) Curiosius in hoc mysterium inquirere, et subtilius de eo disserere fas non est. Comparationes hic obscurant; tantum abest, ut illustrent. 3) Moneantur auditores, ut obedienter credant, quod clare intueri non possunt. Doceantur stultitiam esse, veritatem rite demonstratam, a mortalibus, quibus obtusa mentis acies est, ideo pernegari, quod eam penitus non inspiciant, aut plene comprehendant; quasi oculis rem intuentes.

*) *Quæ loca probationes idoneas suppeditent, hermeneutices est docere.*

47.

*De divinis decretis* loquenti multâ utendum est circumspectione. Ut hominum animi tranquilli sint, declarandum in primis est, ea semper cum *a*) Dei sapientia, justitia, benignitate congruere; semperque *b*) universorum hominum spectare felicitatem; et *c*) immutabilia quoque esse et inscrutabilia. Multa ex his consequuntur, quæ auditores moneantur. v. g. Quæ nobis eveniunt, non casu, et fortuito accidere. Futura præsciendi

cupiditatem dignam esse reprehensione. Temerarium esse, qui, quod sibi impendeat fatum, ex divinis proprietatibus audeat concludere, vel certa conjectura divinare, quid Deus ob perfectiones suas in singularibus casibus facturus sit, vel facere eum oporteat. Prudentissime agere, qui voluntati, ac dispositioni sapientissimi numinis totum se permittit.

48.

Caute admodum loquendum *de divinis decretis*, quæ ad hominum post mortem statum, sive felicem, sive infelicem attinent. De divina, ut scholæ loquuntur, *electione, et prædestinatione, et reprobatione* crebro a theologis fuit concertatum; id quod veræ pietati multum nocuit. Nonnulli quandoque in hac causa adeo audacter litem decidunt, perinde ac si a secretis consiliis supremi numinis de hominum conditione decernentis fuissent. Non amplius de his pronuntiandum est, quam divina revelatio nobis detexit, et quod cum hominis felicitate conjunctum est. In primis quando de electorum, aut reproborum numero loquimur, non temerarie priorum numerus supra modum diminuendus est, ne tranquillitas, amorque hominum perturbetur, et servilis timor incutiatur, qui filiali erga Deum caritati, suavique fiduciæ in ejus erga homines amore collocatæ, atque inde nascenti lætitiæ multum officit.

49.

Cum historia *de mundo condito* exponitur, rerum omnium conditoris omnipotentia, ut summe adoranda proponatur; hortandi deinde homines, ut considerent, quanti pretii, quantæque dignitatis opus homo sit, ut prudenti, ac christianos decente ratione sese ipsi magni æstimare discant; ne caducis in hac terra rebus ni-

mium affixi, et voluptatibus immersi, bestiis similes efficiantur.

50.

Doctrina de divina *providentia* accurate exposita fiduciam, animi lætitiam, in rebus adversis patientiam, humilitatem etc. progenerabit. Ad hoc vero necesse est, ut ejusdem indicia, et rationes attente investigentur. Ad hanc attentionem conciliandam historia, multaque, quæ quotidie et in singulorum vita accidunt, animarum pastorem adjuvabunt.

51.

Quando *de miraculis*, aut providentia opera miranda efficiente sermo est, ampla adest occasio innumerabilem superstitiosarum opinionum multitudinem, quibus fucata pietas, et turpis lucri studium sese muniverunt, convellendi, penitusque evertendi. Nervi omnes contendantur, ut e vulgi animis excutiatur falsa opinio, qua sibi multi persuadent, virtutis et meriti opus esse, fidem facile habere narratiunculis, quas de miraculis audiunt. Verissima hæc doctrina ipsis imprimatur, Deum sapientissimum non, ut ipsi quidem opinantur, obtemperare hominum voluntati, non ad eorum nutum, non sine gravissimis causis, quæ universi humani generis utilitati serviunt, a communi rerum ordine recedere. Monstretur ex historiarum monumentis, sæpissime credulos homines insolita naturæ effecta divina virtute perpetrata existimasse, et sub dolos veteratores ea pro miraculis venditasse. Declaretur, tantam miraculorum copiam, de quibus tam multa narrentur, non levem injicere dubitationem: cum ecclesiæ patres hujusmodi miracula post fundatam, firmatamque ecclesiam saltem universim non esse necessaria testentur.

52.

De geniis cœlestibus, et impuris spiritibus sacer pastor dum verba facit, observet omnino regulas §§. 19, et 22. præscriptas. Vocabulum *angelus* non semper in sacris litteris cœlestem spiritum significat, sed interdum nuntium, exploratorem, ecclesiæ antistitem etc. Tribuitur etiam quandoque rebus inanimis. Neque vox *dæmon* in scriptura malum spiritum semper indicat. Hic opportunum falsas vulgi persuasiones de magia, et incantamentis, de insessis a malis spiritibus, de spectris, de inspirationibus, labefactare, et prudenter refellere. Fundamenti loco hic sit indubitata veritas, homines fatuos (fanaticos) admodum multa existimasse a veneficiis et fascinationibus orta, ubi revera nihil suberat, nisi morbus, convulsio, stupor. Fœdissima lucri cupido, phantasia fanatico æstu succensa, nimia plebis credulitas, plebemque legibus christianis imbuentium magistrorum quorundam confirmatio præclara hæc commenta de sagis, veneficiis, corporibus ab orci genio vexatis progenuerunt, et in rudium, simpliciumque animis aluerunt. *) Igitur generatim docendum est, satanæ potestatem a Christo esse eversam, et ne capillum quidem capitis, ut ipse dixit, absque cœlestis Patris voluntate lædi posse. Sic fidelium animis timor expellitur, et superstitio. De bonorum angelorum numero, de eorum muneribus, de societate cum hominibus nihil omnino commemoretur, quod non ex revelatione manifestum est.

*) *Recentissima de dæmonum existentia, et influxu scripta exhibent considerationes omnibus utiles* (gemeinnützige Betrachtungen.) Seropferi *præstigiæ, et* Gassneri *gesticulationes multis utilibus de hac re lucubrationibus ansam præbuerant. Lectu dignissimæ sunt litteræ archiepiscoporum* Salisburgensis, *et* Pragensis.

53.

Doctrina de lapsu hominis, et universali corruptione, ad hominum emendationem percommode converti potest; si eos ad humilitatem, demissionem, indulgentiam, et lenitatem erga aliorum errata, ad mansuetudinem, ad gratum erga Servatorem animum, ad fiduciam in eo collocandam hortandi hinc ansam arripimus. Verum non solum, quæ e primo peccato fluxerunt mala, in medium adducenda sunt. Quid infelici prodest, suæ eum miseriæ admonere, aut acerbissimos edere gemitus, lamentisque commovere animum? Ostendenda est ei ratio se iisdem liberandi; atque ut necessaria ad hoc advocet auxilia, placida oratione est movendus, ne cadat animo, desidia torpeat, operæ ac laboris eum tædeat et anxio timore frangatur. Cavendum etiam, ne verbis et descriptionibus nimium humilibus et abjectis contemptim de homine loquamur, dotesque, quibus ornatus est parvi faciamus, et dicendo perinde extenuemus, ac si omne rationis lumen in eo extinctum, omnisque recte ac bene agendi facultas ab eo esset ablata. Rationem in rebus omnibus quæ illius fines non excedunt, ceu viæ ducem nos sequi fas est. An non sæpius interno boni malique sensu velut acerrimo stimulo ad actiones præclaras nos incitamur?

54.

In religione nostra nihil adeo immensam, et summe adorandam Dei erga homines charitatem commendare, gratumque animum, fiduciam, mutuum amorem, jucundam futurorum spem, scelerum detestationem a nobis excitare valet, quam maximi momenti dogma de humani generis redemptione. Non subtili ratione, et inutili opera perscrutandum est hoc admirandum incarnationis mysterium; potius ad evangelii apostolorumque

exemplum proponatur Iesus sub diverso charactere, ac respectu, quo christiani cum eo conjuncti sunt, e. g. ut exemplar fidelium, ut mundi doctor, *) ut humani generis gubernator, ut judex etc. atque ex his deducuntur officia, quæ ei sub diversis his respectibus debemus.

*) *Vid. expositio doctrinæ christianæ; aut instructiones in præcipuis capitibus religionis. Altera hujus operis ex idiomate Gallico in Teodiscum translati editio comparuit. Viennæ* 1786.

55.

Ex illis, quæ generatim de religionis doctrina traderda supra diximus, fluunt inter alias hæ regulæ, prudenter usurpandæ. *a*) Moneantur homines, ut sibi a falsa quadam, otiosa, et temeraria fiducia, in meritis Christi collocata caveant, qua in sceleribus obfirmati suæ obstinationi patrocinari, multique, in quibus pietatis ardor refrixit, in virtutis studio socordiæ culpam purgare volunt. *b*) Ut suos pastor christianus solide informet, ubique in veteris testamenti libris, in qualibet historia, in quolibet loco typos, figuras, vaticinia de Christo, ejusque religione ne indaget; nisi occasionem præbeat ipsa scriptura sacra. *c*) Si de Christi erga homines, hominumque, quem Christo debent, amore sermo est; ne repræsententur imagines sumptæ ab illo amore, qui solum in corpora, sensusque fertur.

56.

Doctrina de vita post mortem in mentem voluntatemque hominum, atque eorum actiones, magna vi influit. Dum enim cogitationem in vita futura defigimus, jucundum nobis est agere, quod officii nostri est; stre-

nue statuimus, suscipimusque utilia, in casibus adversis spe et solatio erigimus animos, læti hujus vitæ gaudiis perfruimur, inconstantis fortunæ vicissitudines æquo animo perferimus. Sed cautos hic esse oportet, ut ne cum hæc quasi oculis conspicienda depingere studemus corporeas falsasque de futuræ vitæ gaudiis imagines vulgi animis objiciamus.

57.

Si æternam felicitatem describimus ceu perfectissimum animæ statum, quo omnibus omnino malis ac molestiis libera vivit, quo justa desideria explentur, quo animi perfecta concordia atque consensione conjunguntur, quo pax firma viget etc. denique si addimus felicitatem hanc perpetuo duraturam esse; hanc doctrinam ad usum recte tradimus, quin contra regulam §. 19. peccemus. *)

*) *Vid* Nicolius *de quatuor novissimis.*

58.

Eadem dicenda sunt de infelici improborum post mortem conditione. Ad *Cochemianum* enthusiasmum efflctæ descriptiones tartarei carceris, ac pœnarum, queis impii excruciantur, falsæ prorsus sunt, atque perniciosæ, multisque sunt offendiculo. Commentitia hæc tericula ludificationes et fraudes sunt, nulla ratione excusandæ. Imperitum exegetem se probat, quisquis omnes metaphoricas sacræ scripturæ de reproborum suppliciis locutiones in sensu proprio intelligit. Hac de re id tantum vere et solide affirmari potest, illic maxime sceleratorum cupiditates nunquam exsatiari turbulentis animorum motibus, ac jactationibus, et in aliorum sceleratorum infausta societate æternum ingemiscere.

59.

Alterum quod, dum populum docemus, intueri oportet, est doctrina de vita ad Christi præceptiones agenda (§. 10.) *) sive de virtutibus, et adjumentis ad eas sibi comparandas utilibus aut necessariis. Major et præcipua sacrarum litterarum pars præcepta moralia continet. Pariter christianis institutionibus populum formans plurimum temporis insumat ad modum, mores secundum Christi legem componendi, ostendendum.

*) *Quam præclara est inter cetera Iacobi sententia I. 27.!* Religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem hæc est: visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

60.

Ut doctrina de vitæ sanctitate generatim auditoribus plene et perfecte impertiatur, 1) genuina virtutis notio ingerenda est, falsæque, quæ de illis finguntur, removendæ. 2) Tollenda præjudicia et impedimenta, quæ obstant, quo minus fiant, quæ lege Christi imperata sunt. 3) Afferendæ rationes, quæ ad virtutem incitant. 4) Indicandum discrimen inter vera, et fucata subsidia quibus aut obtinenda, aut conservanda est. Hic plerumque agitur de *fide*, *spe*, et *charitate*. Pauca tantum in hanc rem adnotabimus.

61.

*Fidem* quod attinet; id quod non exigui momenti est, sedulo inculcandum hic est, non esse satis, fidem, quam evangelium ad beatitatem requirit, amplecti, aut revelata religionis dogmata magno animi fervore profi-

teri; sed oportere eam esse vivam, esse efficacem, hoc est, oportere ad amorem Dei, et observationem divinorum præceptorum, emendationem animorum, philanthropiam etc. homines perducere. *)

*) *Quid proderit*, inquit Iacobus, *fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum? Si autem frater et soror* (ex his quispiam, qui religione christiana nobis conjuncti sunt) *nudi sint, et indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis, Ite in pace, calefacimini, et saturamini; non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic et fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa*, (inanis est ac sterilis, nisi per charitatem operetur.) *Iac. II.* 14. 15. 16. 17.

62.

Hic, quod magni refert, licet commemorare, illud, quod plerumque simplicitatem in rebus fidei appellant, et qua curiosa sciendi cupiditas, et vanum omnia penitus perscrutandi studium excluditur, non cum socordi stupiditate, perniciosa inscitia, interminata credulitate esse confundendam. Christiano ideo quia christianus est, sua ratione uti, non est interdicendum. Nusquam sacra scriptura peccato imputat, paulo plura credere, quam ferat ita dicta fides *carbonaria*.

63.

Si de *fiducia* in Deo reponenda, aut de *spe* christiana disserendum est, ejusdem notæ, ac proprietates, causæque, quibus spes christiana innixa est, potissimum evolvantur. 1) Commonendi quidem sunt auditores, ut omnem temeritatem (præsumtionem) et consuetorum adjumentorum neglectum vitent; sollicite 2) tamen iis

etiam monstrandum est, doctrinam de æterna ad vitam beatam prædestinatione, de hominum indignitate etc. humili, et firmæ spei non adversari. Præcipue in hanc rem est, ut eis divinum ad omnes homines, semper et ubique in eo spem collocandi mandatum, conjunctum cum promissis, et comminationibus proponamus. *) E quibus patet, quam cautos, dum de his loquimur, nos esse conveniat ne auditores animum depondentes diffidere incipiant.

*) *Inter alia, huc revocantur dicta*; Psal. XXIV. 4 *Etenim universi, qui sustinent te, non confundentur* Eccli II. 12. *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Vers. 15. *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, et ideo non protegentur ab eo.* etc.

64.

Multum in hoc momenti esse, ut plebs ad *amorem* Dei informetur, ex pluribus sacræ scripturæ locis manifestum est. *) Huc pertinet, ut naturam 1) et proprietates *puræ*, *morigeræ*, et *dominantis* charitatis describamus, 2) et causas ad eam moventes, Dei scilicet *a*) perfectiones, et *b*) ejus beneficia commemoremus.

*) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum.* Matth. XXII. 37. 38.

65.

Amori in Deum amorem erga alios homines semper adnectunt divinæ litteræ. *) Veras etiam, et gravissimas eos amandi causas suppeditant. **) Christianæ charitatis indolem, ac proprietates, quæ eam ab assimulato adulantium mortalium amore, atque ab eo, qui suis tan-

tum commodis studet, aut a naturali propensione proficiscitur, discernunt, præclare describit apostolus 1. cor. XIII. 4. 7. ***) Oportet eam esse *) *universalem* 2) *sinceram*, sine simulatione, et actuosam (minime inertem ac otiosam, 3) *generosam*, 4) *immutabilem*.

*) *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ.* Matth. XXII. 39. 40.

**) *Ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos, et malos: et pluit super justos, et injustos.* Matth. V. 45. *Sicut in uno corpore multa membra habemus. ... ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. XII. 4. 5. *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem; sicut dilexi vos.* Io. XV. 12.

***) *Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur. Non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt: non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 1. Cor XIII. 4. 7. *Vide* Les characteres de la charite selon S. *Paul.* par Mr. l' Abbé *Duguet.*

66.

Ex duobus his præceptis, in quibus, ut sacra scriptura ait, universa lex pendet, omnia christianorum officia manant, tum universalia, tum peculiaria. Hæc generatim dum exponuntur, afferenda est 1) vera illorum notio. 2) Sunt firmis rationibus demonstranda. 3) Ostendenda eorum extensio, et ambitus. 4) Notanda vitia opposita. 5) Impedimenta, ea removendi ratio,

et auxilia indicanda. Ut auditores de officiis singularibus integre, et solide edoceantur, et convicti in sententia persistant, revocanda hæc sunt, si fieri potest, ad generalia principia, ceu fontes, ex quibus profluunt. De universalibus christianæ religionis præceptis loquens, quid faciendum sit, ut intelligant christiani, exponat, qua ratione in casibus communibus, in vario fortunæ habitu, rerumque cursu, vel conjunctione cum aliis, iisdem sit obtemperandum. Dixi: in casibus communibus. Longe enim absit, ut, qui plebejos homines informat, theologorum, quos *Casuistas* appellant, more singularia facta ipsis proponat, ut eorum animos ad illa præparet, quæ, dum vivunt, nunquam evenient.

67.

Unumquodque reipublicæ membrum oportet pro viribus, et pro rerum suarum conditione communi omnium utilitati servire. Cum animarum curam habens inter societatis hujus membra locum insignem obtineat, ei semper occasio præsto est, apud eos, quibus præest, pacem, et quietem sartam tectam servandi, hominum turbulentorum motus comprimendi, primasque seditionis scintillas extinguendi, si quidem superiori potestati subjectorum erga illam officia, fidem scilicet, obedientiam, reverentiam sinceram fidelemque, tributorum colutionem gravi verborum vi illorum animis alte imprimat. Hoc ab eo spectat respublica, hoc postulat religio, cujus officia cum civitatis, aut reipublicæ officiis arcte cohærent. Optimus quisque christianus optimus etiam civis est. Inquietum dissensionum et turbarum spiritum placidus christianæ religionis spiritus aversatur. Habemus a Salvatore nostro, et apostolis exempla gravissima. *) Ex quo consequitur, ut, quæ a suprema potestate statuuntur, et mandantur, æque, et justa esse, et populi, religionisque emolumentum spec-

tare, quandocumque occasio tulerit, ostendat. Caveat autem ne humilis, ac dejectæ adulationis suspicionem moveat.

*) *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.* Matth. XXII. 21. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit... Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Rom. XII. 1. 2. 7. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones..* speciatim *pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate.* 1. Tim. II. 1. 2.

68.

Quod multa nomine christiano maxime indigna perpetrantur, et magna sæpe rerum perturbatio, et confusio nascitur, certum exploratumque est, hæc accidere, quod officiis cuique statui propriis raro admodum satisfit; idque maxime hac de causa, quod illa multis parum cognita et perspecta sunt. Quare animarum pastor id quod maxime ad ejus officium pertinet; hæc officia exponat suis, dum eos aut simul instruit, aut seorsum aliquibus, queis aliud vitæ institutum amplecti in animo est.

69.

Dum officia, quæ religio expostulat, exponimus, duo universim vitandi sunt scopuli; prudenterque cavendum, ne adversus Deum, et adversus homines peccemus. Quod facile fieri potest, si aut *) pro tristi nos-

tra, austeraque indole divinam legem rigidius repræsentantes, graviora hominibus imponimus onera, quam lex ipsa jubet, et quæ adeo portanda non sunt; 2) aut e diverso lenissimi eamdem, quorumdam *Casuistarum* more mitius exponimus; in alium sensum detorquemus; jam hos, illos præceptis quibusdam non teneri declaramus. Alterutrum qui faceret, non esset legis interpres, aut præco; sed legislatoris partes ipse sibi sumeret. Leves, et pusilli animi homines in religione christiana passim aliquid vident, quod eos terreat. Quod si explicatione severiore metus aut terror augetur, omnino invisa erit. At si leges christianæ non sincere explanantur, et audientes in eam opinionem adducuntur se gravissimis religionis præceptis non obligari, alitur, et fovetur illorum mollities. De prioribus id licet dicere, quod Pharisæis Iesus sæpe exprobavit; *) et quod apostolus, in illa disceptatione de antiquæ legis ceremoniis retinendis respondit. **) Posteriores feriunt minæ intentate apud *Ezechielem* prophetis falsis, qui pacem mentiuntur. ***) Hæc generatim loquendo vera et certisssima sunt; at quod maxime e re est, oportet inquirere, qua ratione duos illos scopulos effugiamus. Præcipuum in hoc negotio momentum est, ut solida scientia, atque in primis pura philosophiæ moralis doctrina imbuti, et a juvenilibus præjudiciis alieni simus ut aliorum opinionibus imprudenti amore non adhæreamus, aut in illorum verba juremus, ut sine partium studio cuncta accurate perpendamus; ut permulta, quæ in hoc mundo sunt, et in primis hominum mores, et ingenia nota nobis sint, et ut, quod rei caput est, amemus verum, et simus viri boni.

*) *Alligant onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Matth. XXIII. 4.

**) *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Act. XV. 10

***) *Deceperunt populum meum dicentes: pax, et non est pax... Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus: et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: et cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum... Interficiebant animas, quæ non moriuntur, et vivificabant animas, quæ non vivunt.* Ezech. XIII. 10. 18. 19.

70.

Religionis officia cum exponimus, falsa, quam multi de pietate affingunt, idea ex animis delenda, meliorque substituenda est. Exiguus enim est perditissimorum hominum numerus, qui consulto perditum se eant, et protervo ausu sponte in exitium ruant. Multi vero sunt, qui fictæ pietatis speciem adamantes, piisque ineptiis capti, spe firma beatissimam in cœlo vitam expectant, licet improbis suis cupiditatibus obsequantur.

71.

Præcipuum in pietate, et cultu divino est amor Dei; quod Christus et apostoli nos docent; atque hoc pastorem sacrum oportet omnino ut doceat suos. Moneant vero eosdem, ut sibi ab ignavo illo et otioso erga Deum amore caveant, qui ab errore fanatico nascitur, et communis societatis officia contemnit negligitque. Sollicite declarandum est auditoribus, veram erga Deum charitatem non posse in eo esse, qui præceptis divinis non obtemperat, et inertia torpens, quæ illa jubent, non præstat. *)

*) *Si diligitis me, mandata mea servate..... Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.* Io. XIV. 15. 21. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate.* 1. Io. III. 18.

72.

Sunt qui non omnibus divinis mandatis pareant. Sua enim pietate freti, immo inflati, quibusdam quas amant cupiditatibus indulgent. Ideo necesse est monere, hominem vere pium præceptis ad unum omnibus obedire *).

*) Præcipue huc attinet locus Iac. II. 10. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit et non occides. Quod si non mœchaberis occides autem, factus est transgressor legis.*

73.

Sunt, qui fines inter graviores et leviores noxas, sive, ut dici solet, inter peccata mortalia et venialia accurate constituere velint, seque tutos existiment, si scelera immania non perpetrent. At iidem minora piacula flocci faciunt. Quam turpe vero hoc sit, quantumque iis impendeat periculum, quibus hæc mens est, docendi sæpe erit occasio. Ideo dicendum; 1) sæpius in dijudicanda delicti gravitate errari: 2) noxas leviores, si parvi fiant, sternere viam ad graviores. Confirmari hæc possunt sacræ scripturæ exemplis *Caini*, *Davidis*, *Petri* etc. 3) Commovendi sunt christiani, studendum iis esse ut perfecti sint atque sancti.

74.

Sub virtutis larua sæpisime latet scelus. Facta mul-

ta ad speciem illustria, et præclara ab immundo fonte profluunt. Igitur auditoribus vera et interna animi probitas, ut Christus monet, ac jubet, commendanda est, iisdem etiam, quibus idem Servator Pharisæorum virtutes impugnavit telis, pugnare licet.

75.

Quod legis evangelicæ praescripta genuina non fuere explicata; quod christianæ legis officia inconcinno, immo dementi modo fuerunt proposita; factum est, ut multi christianæ militiæ nomen non darent, ut multum in hoc terrarum orbe turbaretur, ut multi societati humanæ prorsus fierent inutiles; tantum abfuit, ut veræ virtutis studium excitaretur. Ex quibus cognoscere licet, quanti intersit, religionis doctorem veras de vera perfectione evangelica auditorum mentibus notiones inferre. Moneantur itaque, ut falso in religionis negotio ardore, qui plerumque ex studio alios persequendi, opinionesque suas pertinacius defendendi, et inflatæ mentis tumore nascitur, inflammari animos non sinant; ut a male intellecta rerum, quæ in mundo sunt despicientia Deum ipsum, qui bene omnia fecit, vilipendente sibi caveant; ut humilitati adulterinæ, ex animi dejectione plerumque nascenti sese non dedant, atque ut non omnino omnes, quibus in hac terra frui licet, oblectationes fastidiant, et plus justo aversentur. Hæc enim imprudens contentio fanaticæ superstionis, multorumque malorum parens est.

76.

Ut virtus omni amore ostendatur digna, et convellatur præjudicium eorum, qui ut illi apud *Malachium* hunc fere in modum cogitant: *Vanus est, qui servit Deo: et quod emolumentum, quia custodimus præcepta*

*ejus, et quia ambulabimus tristes coram Domino exercituum. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes; siquidem ædificati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt*, (*Malach.* XIII. 14. 15.) constituantur ante oculos commoda, (§. 28.) quæ genuinus Dei timor in hac, et futura vita progignit. Fundamenti loco hic sunt apostoli sententiæ: *Est autem quæstus magnus pietas.* Et *pietas ad omnia utilis est.* *) Vera pietas 1.) veram animi quietem parit; 2.) honorem apud probos. 3) Efficit nos hominibus charos; 4) fert amplissimum in futura vita præmium. **)

*) 1. *Tim. VI.* 6. 1. *Tim. IV.* 8.

**) *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ; et præcepta cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi. Misericordia et veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui. Et invenies gratiam, et disciplinam bonam coram Deo, et hominibus.* Prov. III. 1. 2. 3. 4. *Siquis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Io. VIII. 51.

77.

Dum ad vitæ sanctimoniam hortamur, multa refutanda sunt, quæ opponi possunt, aut quibus segnities excusari solet. Quod nonnullis fieri haud posse videtur, ut in hac vel illa, qua obstricti sunt, vitæ aut rerum conditione, recte agant, et quod virtutem multis difficultatibus obseptam putant, a pietatis et sanctimoniæ studio abhorrent. His opponantur tum scripturæ sacræ loca, quæ huc attinent *) tum exempla omnis generis, et conditionis hominum, qui divinis præceptis revera paruerunt, ut *Noe*, *Josue*, *David*, *Jo-*

*sias, Asa; Job, Simeon, Zacharias, Elisabeth, Joseph etc.*

*) *V. gr. Tollite jugum meum super vos .... et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus leve.* Matth. XI. 29. 30. *Mandata ejus gravia non sunt.* 1. Io. V. 3.

78.

At dicent: Evangelium ardua nimis postulat, et difficilia; mandat, ut nos abnegemus, ut tollamus in humeros crucem; relinquamus patrem, matrem, fratres etc. His respondendum. 1.) Si hæc, hisque similia loca in sensu genuino intelligantur, facile cognoscitur, ab evangelio nihil præcipi, quod rationi adversetur, et quod non ipsa naturalis prudentia in singularibus casibus, quo hæc loca spectant, nobis suaderet. 2) Quæ christianus propter justitiam facit, et sustinet, comparentur cum iis, quæ alii ad splendas improbas cupiditates et agrediuntur, et perferunt. Hæc collata inter se, et suis momentis ponderata illius, quod Christus affirmavit onus suum esse leve, veritatem comprobabunt.

79.

Sunt, qui cogitent: Totum quis se dedat virtuti, quæ crebro afflicta jacet, atque acerbissima quæque patitur, cum probitatis inimici honoribus, divitiis, et bonis omnibus circumfluant? Verum 1) externum, quo homines adeo oblectantur, fulgorem non oportet intueri, et hinc de eorum felicitate ferre sententiam. 2.) Deinde hos etiam, quorum felicitas adeo prædicatur, crebro pungunt, laniantque stimuli, qui eo molestiores iisdem sunt, quod nullo religionis præsidio firmantur, solatioque eriguntur, cum religio in casibus ad-

versis animi tranqullitatem conciliet. 3) Cogitandum denique, cum hac vita non omnia finiri. *)

*) *Mei autem pæne moti sunt* (cespitarunt) *pedes; pæne effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns ... In labore hominum non sunt; et cum hominibus non flagellabantur ... Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas? Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis ... Existimabam, ut cognoscerem hoc. Labor est ante me; donet intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.* Psal. LXXII. 2. 3. 5. 13. 16. 17. *Justorum animæ in manu Dei sunt; et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt; spes illorum immortalitate plena est.* Sap. III. 1. 2. 3. *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum.* Sap. V. 1. *Justi autem in perpetuum vivent; et apud Dominum est merces eorum.* Ibid. vers. 16.

80.

Acerbum est, quod alii singularem me viam ingredi, immoderatumque Dei, et pietatis cultorem existimant, derident, fugiuntque. At facile repellitur istiusmodi querimonia. Nam 1) in simulatam sanctimoniam, et fanaticam pervicacemque pietatem retius hæc dicuntur, quam in veros christianos. Etiam sceleratissimus quisque in rebus gravibus potius cum viris bonis, quam cum aliis comercium habet. Ad hæc: si probitas (ut perperam nonnulli volunt) communem fert contemptionem; qui fit, ut improbi sæpe agant hypocritas, pietatis speciem præferentes, ac lupi ovina se pel-

le tegant? 2) Quod si homo virtute præditus a quibusdam despicitur, solatio ei est, quod á probis æstimatur, quod nullius sibi culpæ conscius, quod ampla ei a Deo promissa merces.

81.

Dum viam ad vitæ sanctitatem suis ostendit christianus pastor, necessario quoque loquendum est de virtutis adjumentis, et vera a falsis sunt discernenda. Falsis ille utitur, 1) qui cibo potuque abstinendo modum excedit, quo facile contingere potest, ut mortem ipse sibi accersat, et reus sit autochiriæ. Hic Pharisæis non dissimilis est, quorum á cibis abstinentiam Christus haud magni fecit. 2) Qui sacræ scripturæ verba minus recte inteligens voluntario cruciatu in se sævit, id quod miti, et beneficæ religioni Christi repugnat. *) 3.) Qui se ab hominum societate corpore tantum segregat, ad quod desidiæ amor sæpisime impellit, et unde morosa pietas, et quandoque multo perniciosiora sequuntur. **) Vera ad virtutem subsidia sunt: 1.) Vigilantia, et huic conjuncta sui ipsius cognitio, et perscrutatio; 2) precationes sacræ 3) piorum librorum lectio; 4) sacramentorum usus. Præcipue hic monendum est, a) virtutis præsidia cum vitæ sanctitate non esse confundenda; sed semper cogitandum, ea esse tantum auxilia ad virtutem vel comparandam, vel conservandam; b) falsam in his fiduciam non esse collocandam; c) hæc dum fiunt, præcipua officia non esse negligenda; d) tandem ne ob diuturnam consuetudinem aut semper eadem, aut fere nihil cogitemus, utendum variatione.

*) *Nemo vos seducat . . . Si mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tanquam viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque*

*gustaveritis, neque contrectaveritis... Quæ sunt quidam rationem habentia sapientiæ in superstitione, et humilitate, et non ad parcendum corpori, et non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Coloss. II. 18. 20. 21. 23.

**) His, qui maturo sunt, atque exasciato judicio usui esse potest *Zimmermanni* opus; *Vondde Einsamkeit* (de solitudine) quod ab omnibus magni æstimatur (cautissime tamen legendum ob impia multa, quibus respersum est.)

82.

Ostendenda est vigilantiæ necessitas; dicendumque, quibus in rebus ea maxime opus sit. Inquisitio in semetipsum nimis anxia ne sit; neque acutissime omnia levissima etiam cupiat indagare. Accurata enim, et sollicita nimis erratorum cognitio animum non raro perturbat, et frangit. *)

Vid. *Nicolius* de vigilantia christiana.

83.

Demonstretur auditoribus 1) necessitas, et modus semper precandi. 2.) Explicentur orationis Deo gratæ proprietates. Sit autem illa attenta, fervens humilis, plena fiduciæ, nullo artificio perpolita, non, ut olim Pharisæorum prolixa, non statis temporum momentis scrupulose anexa. 3) Commonefiant auditores, ut in deliciis non habeant ineptas precandi formulas, precationumque libellos, atque ut non opinentur, orationis sacræ vim ex conceptis formulis pendere. *)

*) Vid. *Nicolius* de oratione.

84.

Hortetur pastor suos, ut in primis sacræ scripturæ libros lectitent. Novi fœderis lectionem magnopere commendet; edoceat autem etiam modum utiliter legendi. Ad alios libros pios legendos, ostendat, opus esse prudenti delectu. Non referant illi Orientis habitum; non sint mysticis tenebris obvoluti; non habeant, quæ sensus tantum titillent; non sit in iis stilus, aut nimium inflatus, aut nimium humilis. At sint utilitate præstantes, solide scripti, producant cognitionem claram, et rectam, quæ convincat, et emmendet. Loquendi ratio sit nobilis, et plana, ut facile ab omnibus queat intelligi; habeat, paucis ut dicam, certo modo proprietates omnes, quas religionem docendi ratio postulat. In hoc negotio peccari interdum solet; ne id fiat, monendi sunt auditores. Peccant autem: 1.) Qui varium, et multiplex doctrinæ genus colunt, ut suam sciendi cupiditatem expleant. 2.) Qui nimis multum temporis libris legendis tribuunt; 3) nihil, aut parum aliis laboribus; 4) qui celeriter a libro ad librum transvolant; 5) qui cœca vanitate capti, ut supra alios sese efferunt, quasi ii essent maxime probi, qui legisent plurima.

85.

Externa pietatis exercitia, vel pii ritus in classes tres dividi possunt. Quædam sunt probata, et recepta ab omnibus; alia, quæ sponte electa vocari possunt, in se mala non sunt; alia e falsis et superstitiosis causis et opinionibus profecta. Ex prioribus liquet, necesse esse, ut pastor primum doceat rectum usum eorum, quæ in primam classem referuntur, et, nequid alieni iis jungant, aut ad disjuncta divertant, moneat; deinde ut clasis secundæ exercitia non multiplicent, aut re-

bus gravioribus anteponant. Demum ostendat, classis tertiæ opera omnino esse rejicienda. *)

*) *Quid proprie superstitiosum sic, nec ne, ad theologiam dogmaticam, et moralem pertinet. Usui huic esse possunt: Muratorii liber* de vera pietate; *Gasparis Marbergi* instructio de maxime necessario ex omnibus pietatis generibus, *translata e sermone gallico in germanicum*; *et: Traité des superstitions, qui regardent les Sacramens, selon l' ecriture sainte, les decrets des conciles, et les sentimens des saints Peres, et des Theologiens. par* Iean Baptiste Thiers. *Quatrieme edition, a Avignon* 1777. 4 *voll.*

86.

Necessarium prorsus est pastoris sacri officium ut in viam eos revocet, qui sceleribus obstricti vivunt, eosque increpet, et castiget. Ioannes Baptista, Salvator, apostoli primum homines hortabantur, ut respicerent et pœnitentia expiarent scelera. In evangelio, et apostolorum scriptis legimus sermones, quibus scelesti objurgantur; et inter ecclesiæ antistitis officia PAULUS recensent arguendi officium. *) Generatim hic de eo loquimur. Variæ diversis modis peccantes ad bonam frugem reducendi rationes ad instructionem privatam pertinent.

*) *Obsecra, increpa* 2. Tim. IV. 2. *Increpa illos* (Cretenses) *dure* Tit. *I.* 13.

87.

Hoc munere probe non funguntur, qui magno strepitu tumultuantur, terribili voce gravia mala denuntiant; verborum contumeliis pugnant etc. Sed oportet

devios ad limites rectumque tramitem revocare, et errantes gravibus rationibus meliora edocere. Hunc modum verbi *Pauli* nos ut cognoscamus, qua ratione hoc negotium aggrediamur, perpendamus tantum, quid plerumque fiat, ut homo improbas animo dominantes cupiditates ejiciat, et e sceleribus emergat.

88.

Ut iis, qui scelera admisit, meliorem vitæ rationem ineat, in primis necesse est, ut clare cognoscat, sua facta suique animi sensa longe diversa esse ab iis, quæ Deus et vitæ integritas exposcunt. Igitur ante alia omnia efficiendum est, ut is perspicue, et distincte intelligat, quid bonum, quidve malum sit. Vivis coloribus depingendus est perditi, et corrupti animi status et cum eodem conferenda sunt illa, quæ is agit, quem arguimus. Statuenda ante oculos vera simulatæ virtutis effigies; refutandæ falsæ rationes, et communes, et peculiares, quas multi suæ in præstandis officiis, quibus certo obstringuntur, socordiæ prætendunt. Male facta communiter excusantur: 1) quod innocua, et reprehensione non digna videantur; 2) quod necessitate compulsi fecerint; 3) quod fine optimo.

89.

Agnoscat præterea flagitiosæ vitæ statum, in quo hæret, eum efficere infelicissimum; alioquin hinc evadendi desiderium nunquam in ejus animo exardescet. Itaque monstretur et peccati fœditas, et damna, quæ inde fluunt. Hunc in finem dicendum est, hominem sceleratum ingens sibi dedecus, et labem imprimere, adversus verum omnium conditorem movere arma, imponere sibi durissimæ servitutis jugum, contemnere Dei clementiam, abuti ejus beneficiis, debilitare suas

vires, *Esau* similem, summo bono anteferre rem levissimam, multorum in hac terra malorum esse causam suum aliorumque animos perturbare, ex ejus sceleribus multa aliorum hominum peccata profluere, etc.

90.

Id genus monita afferuntur, ut vitam emendandi propositum hinc excitetur concipiaturve. Quam sit necessarium, mutata mente in rectam semitam redire, ostenditur; dum serio ac efficaciter præ oculis ponitur, quam brevis hæc sit vita, quam certa mors, quam incerta mortis hora: præterea dum, ut par est, graviter, serioque loquimur de judicio, de suppliciis in vita altera etc.

91.

Duæ sunt res, quæ emendationis propositum aut evertunt, aut debilitant: *a*) Una est, quod opinantur perarduum, et difficile esse opus, aut prorsus fieri non posse: *b*) altera, quod putant, aliquando definito quodam tempore, vel in senectute, vel paulo ante excessum e vita, concepto e recordatione peccatorum dolore Deum sibi propitium habituros. Nunc dicunt, rerum mearum conditio, aut naturæ indoles me impediunt, quo minus animi labes diluam; vel erit tempus, quo id agam. Illis declaretur, emendationem 1) esse negotium, quod non tantum fieri possit, sed facile quoque. Cavendum autem, ne quidquam dicatur, quod a vero sit alienum (aut quo vana præsumptio concipiatur.) Simul vero proponatur, hoc esse 2) maxime necessarium. His explanetur, *a*) turpe esse id consilium, esse insanum, protervum, temerarium contemnere Deum, *b*) et id genus hominum in grave perpetuæ calamitatis periculum sese conjicere.

92.

Qui se bonam ad frugem recipere, et peccata expiare statuerunt, ne adulterinum pœnitentiæ genus pro vero amplectantur, sæpe timendum est. Hujus enim rei multæ admodum et falsæ notiones, ac representationes in hominum animis sunt. Alii hoc negotium existimant perfacile, et sola peccatorum confessione absolutum. Alii putant, externa castigatione, corporis afflictationibus, diris cruciatibus, inedia etc. rem omnem confici posse. Multum igitur refert, ut recta de hac re doctrina instruantur auditores. Explanetur, præcipuum esse vitæ correctioris studium, sive animi mutationem, quam *metanviam* Græci dicunt. *) Sed cavendum est sedulo, ne eam adeo facilem esse dicamus. Sic enim fiet, ut cito peccata iterum prolabantur. Contra difficultas, et asperitas verbis nimium exageranda non est, ne deterreantur a pœnitendo, atque obstinato animo in peccatis obdurescant.

*) *Matth. III.* 8. 11. IX. 13. *Act. V.* 33. XIII. 21.

93.

Sæpe metu, dolore, ac pudore concussi homines mœrore nimio, ac anxietate excruciantur, et de scelerum venia dubitant; quod hæc peratrocia, et se, quibus condonentur, indignes reputant. His opinionibus ocurritur afferendo 1) quæ sacra scriptura de clementissimi Dei misericordia asseverat; 2) exempla *Petri*, *Zachei*, et aliorum, qui gravibus peccatis inquinati culparum veniam obtinuere. 3.) Ad exemplum apostoli commemorando reconciliationem Christi; 4) et ea, quæ Deus ad hoc tempus in ipsis effecit. His et aliis sunt erigendi eorum animi.

*

## 94.

Quod si sceleribus obstrictus animo commotus est; restat, ut eadem indicetur ratio, impedimenta, quæ obstant perfectæ emendationi, transcendendi, aut prorsus tollendi e medio, simulque, quibus ad hoc opus est, adjumenta monstrentur. Præter communia impedimenta, præcipue ad ea respiciendum est, quæ e variis rerum adjunctis, conjunctionibus, occassionibus, corporis, animique habitudine, etc. proveniunt. Quæ ad emendationem adhibentur remedia, sive ut dicunt, pœnitentiæ opera, peccatis gravioribus, e quibus ceu fontibus alia manant, et affectioni dominanti ex adverso sint opposita.

## 95.

Dum peccata et generatim, et speciatim arguimus, optatus exitus operæ nostræ non respondebit, nisi primus pravitatis fons obturetur, et vitiorum causæ removeantur. Quam ob rem dum quemdam hominum cœtum a sceleribus avocare cupimus, adversus insigniora, et dominantia vitia, per quæ plebes a plebe fere distinguitur, et adversus reliquorum scelerum fontes, et dum speciatim reprehendimus, adversus præcipua delicta pugnandum, et in ea gravius invehendum est. Verum non nefanda solum facinora verbis castiganda sunt, atque opera externa; sed sermo etiam ad pravas propensiones, animorumque affectiones, unde scelera nascuntur, convertendus est.

## 96.

Libere serio et graviter reprehendere scelera pastori animarum licet; nimia lenitate, aut indulgentia

ea fovere nefas est. Oportet tamen, eum suavem in reprehendendo esse, et placidum. Finis enim sacri doctoris non est, auditores verbis lædere, pudorem iis incutere, eorum mentes conturbare; sed mores vitamque emendare. Neminem vero emendabis, nisi prius ejus amorem, benevolentiam, fiduciamque tibi comparaveris. *)

*) *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Gal. VI. 1.

97.

Dubium non est, quin is, qui religionem docet, communibus charitatis legibus obstringatur; neque ullo jure permittatur, illorum, quos arguit, honori labem inferre. Unde consequens est, in gravem culpam eum incidere, qui in delicta peculiaria palam invehitur; qui notis quibusdam, quasi intento digito, quos incuset, prodit; qui reverentiæ, quam aliorum conditioni, dignitati, ac meritis debet, immemor est. Eos vero, qui magistratum gerunt, in multorum consessu objurgare, minime decet. Horum enim auctoritas illæsa, ac integra conservanda semper est.

98.

Prudentis est, peccata consulto admissa, mali exempli, malorumque effectum et causas discernere ab illis, quæ a communi naturæ fragilitate, vel inconsiderato impetu fuerunt orta. Oportet quoque intueri, utrum ea, quæ fuerunt violata, ab hominibus tantum statuta, an vero magni momenti officia sint. Severus rerum censor perpetuo carpens, nunquam indulgens, invisus plerisque est; atque ideo ineptus ad alios con-

rigendos. Errata nonnulla solo etiam silentio, et opposito exemplo castigari queunt.

99.

Reprehenduntur scelera, ut tollantur funditus, aut minuantur. Caveat ergo pastor, ne incauto loquendi modo, aut enucleata omnium malorum artium, quibus multi ad nefaria facinora obeunda utuntur, enumeratione scelera ipsa doceat. Huc pertinent descriptiones quorumdam delictorum, quæ sua suavitate magis ad eadem pellicere valent, quam ab iisdem arcere.

100.

Contingit interdum, ut ad fræna homini exempli pravitate alios offendenti injicienda a magistratu petendum sit auxilium. Ad hoc tum demum faciendum est, cum necessitas eo adigit, et verba omnia ventis fuerunt data. *)

*) Vid. Telleri *dissertatio de zelo in pulpitis ecclesiasticis*, *in Diario pro Concionatoribus*: Oemleri *Concionator in castigandi officio constitutus.*

101.

Tristitia contraria est animi tranquilitati, et libertati spiritus. Has christianus quisque pro viribus suis debet conservare; animarum vero curam habens in suorum animis progignere, aut tueri. Hæc ægritudo homines ad multa, quibus religionis christianæ officia violantur, pertrahit. Hinc adversos casus ægre ferentis animi commotio; hinc adversus Deum querimoniæ; hinc in rebus gerendis segnities; hinc neglecta propria statui suo officia, hinc erga homines alios morositas etc.

Pastoris ergo est, eos a tristitia abducere. Ex quo sequitur mœrentes consolandi munus; quod Germani vocitant *das Trostamt.*

102.

Qui munus obit christiani doctoris, duplici ex fine consolatur afflictos: 1) ut ærumnis prostratos animos erigat et tranquillet: 2) ut modum eos doceat, ex ærumnis moderatione, et æquitate animi christiano homine digna utilitatem capiendi. Munere suo præclare non perfungitur, qui ad exiguum temporis spatium tranquillitatem animo reddit. Ut vera, et stabili quiete perfruatur, gravibus, et firmis utendum est argumentis. Quibus a sollicitudine ac mœrore tristes avocare studemus, oblectamenta strepitu careant et tumultu. Hæc obtundunt animum, ejus motus non sedant, et exigui pretii sunt. Leniores vero oblectatiunculas non improbamus. Has in quibusdam molestiarum afflictionumque generibus, et in primo præsertim doloris impetu admovere oportet. His imaginandi vis a rerum tristium specie abstrahitur, vehemens earum impressio frangitur, et mœrore prostratus ad solatio admittenda efficitur paratior.

103.

Nascitur tristitia ex mali præsentis, aut futuri repræsentatione. Qui eam levare, aut exturbare conatur, is mœrenti ostendat, non esse, cur mœrori se dedat. Duo, unde solatia petantur, patent fontes. 1.) Demonstramus, malum de quo queritur afflictus, omnino malum non esse; ut siquis ægrotum se opinatur. 2) Non tantum esse, quantum is sibi fingit.

104.

Ut debilitemus vim, qua animo objecta doloris mag-

nitudo eum impetit, proponenda est doloris brevitas, et adjuncta, quæ eum minuunt; vel comparandus est cum aliorum doloribus; vel revocandi in animum amœni, qui quondam fluxere dies; vel commemoranda bona, quæ ex illo dolore provenient etc.

## 105.

Vera oportet esse omnia, quæ pastor affert ad suos erudiendos. Falsis igitur imaginibus malum ne extenuet. Siquis vere misero vellet persuadere, aut nullis, aut perexiguis eum conflictari cum miseriis, recte haud ageret. Obdurescet enim miser ille, et ad irritum cadent Dei consilia. Qui persuadere talia nitetur, præberet se duri, ac ferrei animi hominem, et conceptam animi ægritudinem in afflicto duplicaret. Ut sibi in ejus animum aditum aperiat, commiseratione se tangi significet. Cohortationibus vero malis oppressum sic ne induret, ut vulnus non sentiat, aut in calamitate acerbissima rideat; sed tantum id agat, ut neque de sanitate mentis deturbetur, neque a recta in Deum fide deficiat, aut spem omnem abjiciat.

## 106.

Ut revera tranquillus, et pacatus ærumnosi animus sit, semper demum a religione fomenta dolorum petenda sunt. Verum hæc solatia inutiliter, effuse et intempestive ne adhibeantur. Curandum etiam, ne habeantur ludibrio. Itaque 1) si ipsa corporis constitutio mœroris causa est, consolationes, quas a religione solum mutuamur, tristitiam non levabunt. 2) Sacrorum, religionisque hostes hoc consolationum genere a mœrore abstrahere si conabimur, inanem sumemus operam. 3) Quos sua in calamitatem abstraxerunt scelera, illis solatiis erigere haud poterimus, quæ probis tantum adhibenda sunt.

107.

Quando sereniore luce affulgente paulo quietior animus esse cœpit; tum demum verba facienda sunt de utilitate e miseriis capienda. Nam in rebus adversis agnoscimus rerum pretium, et divini auxilii necessitatem. Facilius aliorum miseriis commovemur, et ad misericordiam flectimur. Quam exiguæ vires nostræ sint, et quam parum præsidii in hominum auxiliis sit, inteligimus; a rebus caducis avellimur, et vitam futuram læti expectamus; ubi pro ærumnarum, quas æquo animo hic pertulimus, numero et gravitate erimus felices. Hæc, et similia homini ærumnoso proposita corroborant ejus fidem, incitant ad animi demisionem, pœnitentiam, et charitatem Dei; impellunt eum, ut beatitudinem sempiternam ardenter exspectet, acerba patienter ferat, ad pias preces crebro se convertat. Paucis ut absolvam, melior, ac ante fuit, evadit. *)

*) *Existimo, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis..... Spe enim salvi facti sumus.... Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; fiunt, suntque media felicitatis obtinendæ (*Rom.* VIII. 18. 24. 28. 2. *Cor.* V. 1. seq. 2. *Thess.* I. 7. 1. *Io.* III. 2. *Hebr.* XII. per totum. Vid. Abhandlung (*Dissertatio de optima conversandi cum afflictis methodo.*) Item: *Philotas. Specimen afflictis eorumque amicis ad instructionem et tranquillitatem propositum. Leidem* 1779) *Oemlers* (*Concionator afflictis assistens.*) Iena 1771.

108.

Erroneæ in rebus, quæ ad religionem attinent, opiniones adversantur boni et veri cognitioni, quam claris-

tianus sibi comparare debet; multumque in hominum voluntates, et actiones influunt. Religionis igitur doctorem oportet errores redarguere. Diligenter autem discernendum est, quæ, et quem ad modum refellenda sint; ne inde plus mali gignatur, quam boni.

## 109.

Quanti momenti sit quædam de religione doctrina, qua plebejos homines instruimus, ex eo dijudicandum est, utrum multum illos valeat permovere, ut ad christianæ legis normam componant mores. (§. 9.) In hunc etiam modum de erroribus doctrinæ illi oppositis judicandum est. Consideranda enim sunt damna ab iis manantia, et impedientia, quo minus christiani ex Christi præscripto vitam agant. Ex quo proxime sequitur, ut tantum errores proprie ad religionem attinentes refellendi sint, non criticæ, philologicæ, scolasticæ tricæ, aliæque levioris momenti res. Pugnandum insuper et in primis est contra multas opiniones superstitiosas falsas pietatis notiones, multa præjudicia de iis, quæ christianum agere oportet, singularia effugia, quæ improbi quærunt, ut legum vinculis se exsolvant, et contra alia hujus generis. Optimum hac in re exemplum Christus nobis præbuit.

## 110.

Manifesto ex his, quæ diximus, consequitur, in refutandis erroribus non ultra progrediendum esse, quam religionis christianæ status generatim, ipsa temporum, locorum, et gregis cuique pastori in fidem et custodiam concrediti necesitas postulat. A scopo itaque alienum est 1) redarguere errores, quos parochiani jam satis abominantur; 2) opiniones falsas, quæ vetustatis tenebris oppressæ jacebant, iterum in lucem proferre; 3) illas

evulgare, propter quas in regionibus longe remotis acriter decertatum fuit, quæ vero in terras nostras nunquam fortasse, aut nisi post longissimum temgissimum tempus pervenient. 4) Pessime vero agunt, qui, ut suam eruditionem ostentent, aut qui vindictæ cupidi, invidia æstuantes, commodisque suis servientes, videre et deprendere se errores vociferantur, ubi nulli sunt quibusve hæreseos insimulare alios volupe est.

111.

Siquid serio, et graviter refellendum est, videat pugnaturus, an tantæ rei, suoque hosti parsit, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Qui scientia necessaria non instructus, hac pugnandi arte rudis, multaque lectione sibi arma non paravit, et in arenam audet descendere, in existimationis discrimen venit, adversariorum opiniones confirmat, audientium animos offendit, nocetque bonæ religionis causæ. Qui se imparem novit, utilibus libris, quos alii consulant, indicatis, pugnæ se subducat; ne in certamine cum dedecore succumbat.

112.

Ut semper, dum de religione ad suos loquitur pastor sic præsertim in disceptationibus de rebus ad religionem pertinentibus ad tempus, et locum respiciat. In conviviis, aliisque ejusmodi conventibus de religione digladiari minime decet. Perniciosum id est, offenditque piorum animos.

113.

Optimum refutandi modum docet apostolus, utilem præscribens regulam, nempe fratres nostros cum omni lenitate, et mansuetudine in viam esse revocandos. Imitantur Iudæos, Christum, quem verbis incassum aggre-

diebantur, lapidibus insectantes, quicumque in criminationibus, conviciis, injuriis etc. perfugium quærunt. Hac certandi ratione inflammatur adversarii animus, certamen diutissime ducitur, præbetur suspicio, deesse valida argumentorum tela; denique res ipsa, de qua concertatur, in contemptum adducitur.

114.

In refutatione 1) statuatur quid illud sit de quo maxime disceptatur. Illa, de quibus inter utramque partem convenit, separentur ab eo, in quo dissensio est. 2) Ab ipso controversiæ capite ne discedatur, neque pugnetur consecutionibus, quæ ad rem non sunt. 3) Adversarii argumenta ingenue, ac sine fraude afferantur; et quæ ab eo vere, et recte dicta intelligimus, vera et recta esse, etiam fateamur. 4) Vera denique doctrina confirmetur argumentis idoneis, et non facile refutandis. Splendida verba, oratoriæ technæ, declamationes, execrationes, sophismata etc. hebetis ingenii aciem perstringunt; prudentibus risum movent.

# SECTIO II.

## *De catechizatione, et contionibus sacris.*

1.

Pro diversa eorum, quos animarum pastor erudit scientia etiam doctrina de religione dividi potest. Ob disparem hanc cognitionis rationem speciatim monita quædam necessaria sunt, quomodo scilicet regulis universalibus de populo christianâ doctrinâ instruendo præscriptis utendum sit. Duo autem sunt instruendorum genera. Aut enim nullam de christiana religione hauserunt doctrinam; aut fidei christianæ rudimentis imbuti jam sunt. In priori classe, ut nunc cœtuum christianorum status est, sunt parvuli: posteriori adulti. Prioris classis instructio sensu latiori appellatur *catechizatio*, sive instructio parvulorum in primis religionis christianæ rudimentis; licet his vocibus, *catechizare*, *catechizatio*, varia subjecta sit notio.

2.

In scriptura sacra vox *catechizare* interdum idem significat, quod vox *docere* generatim sumpta; potissimum autem christianæ fidei rudimenta tradere. Antiquissimis ecclesiæ temporibus hæc notio isti verbo subjecta erat. Iam sæculo quarto nomine catecheseos institutio parvulorum veniebat. *) In significatione strictiori est colloquium de religione cum parvulis ac rudibus.

*) S. Gregorius Nazianzenus scribebat: *Doctrina pueris tradita est catechesis.*

3.

Primis quidem temporibus prima religionis elementa tradebantur. Licet jam primi familiarum patres, et postea prophetæ, sacerdotes, et populi doctores doctrina de religione rudes imbuerint: proprie tamen id erat Christi et apostolorum negotium, ut doctrinam de vera felicitate consequenda latissime divulgarent. Iesus ejusque discipuli fuerunt primi christianæ religionis in latiore sensu catechetæ. In epistola ad Hebræos *) recensentur prima religionis elementa, quæ novis christianis tradebantur; videlicet doctrina de reditu a vitio ad virtutem, de fide in Deum, de baptismo, manuum impositione, resurrectione mortuorum, et judicio æterno.

*) *Hebr. VI.* 1. *seq.* Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum et judicii æterni.

4.

Primis Ecclesiæ seculis novos christianos (*neophytos*) fidei christianæ præceptiones multo studio, ac cura edoctos fuisse, in dubium vocari non potest. Proprii vero et singularis alicujus instituti, et docendi methodi priscis illis temporibus vix ulla inveniuntur vestigia. Initia legis christianæ exponere suis liberis maxime curæ erat parentibus christianis. 1)

*Exempla præbent* Leonidas Origenis *pater*, Monica

S. Augustini *mater*; *tum mater* S. Basilii, *et ejus avia* Macrina. *Vid.* Arnoldi *descriptio* (*effigies primorum christianorum. Lib. VI. cap.* 4.

5.

Qui sacro fonte ablui desiderabant, seorsum aut privatim ad simboli cujusdam normam instituebantur. Hi appellabantur *Catechumeni*; erantque in classes quasdam distributi. Alii dicebantur *audientes*, qui, ut instruerentur petiverant. Hi partim privatim docebantur; partim etiam ad institutionem publicam admitebantur. Alii nominabantur competentes, quod cum aliis peterent baptismum. Hi, simul ac exploratum esset recte eos institutos esse nomina sua profitebantur, ut baptizandorum albo inscriberentur. *) Omnes quicumque sacro baptismate tingi cupiebant, symbolum memoriæ mandabant, et antequam baptizarentur coram episcopo memoriter pronuntiabant. **) Instruebant catechumenos *diaconi* in nonnullis certe ecclesiis. ***) Idem munus interdum etiam obibant *lectores.* ****)

*) S. Aug. *Serm.* 116. *de tempore.* S. Isidorus. *Lib. de eccles. officiis cap.* 21.

**) *Orig. et ant. eccl. Vol.* 4. *pag.* 10. *seq.*

***) *Quod clare intelligitur ex libro* S. Augustini *de catechizandis rudibus ad usum diaconi* Deogratias *scripto.*

****) *Hujus rei exemplum suppeditat* Optatus, *de quo* S. Cyprianus *in epistola* Balucianæ *editionis vigesima quarta scribit*: Optatum inter lectores doctorem audientium constituimus.

6.

In sacris ædibus episcopi, aut his permittentibus in nonnullis locis presbyteri jam baptizatos docebant, quibus aut scripturam sacram, aut moralem doctrinam exponebant. Interdum quædam etiam inserebantur, quæ ad catechumenos attinebant. De nonnullis religionis dogmatibus, præsertim post *Iustini* tempora vix ullus in sacris cœtibus sermo, hinc illa formula: *Norunt fideles.*

7.

Qui in quorumdam locorum scholis, quæ *catecheticæ*, et quarum præsides *catechetæ* dicebantur, discipulos pueros, aut homines rudes fuisse putarent, is multum hallucinaretur. Eruditæ enim in illis habebantur prælectiones. In harum numero erat *Alexandrina* in Ægypto, cui præfuere viri celeberrimi, ATHENAGORAS, PANTÆNUS, CLEMENS *Alexandrinus*, ORIGENES etc. *) Floruerunt etiam id genus scholæ *Cæsareæ*, **) *Edessæ*, ***) *Romæ*, et aliis in locis.

*) *De schola* Alexandrina *legendus est* Caveus *histor. litt. T. I. p.* 80. *Eodem pertinet* Michaelis *exercitatio de scholæ Alexandrinæ origine, et progressu.*

**) Eusebius *Lib. VII. Hist. eccles. cap.* 42.

***) Theodoretus *Lib. IV. cap.* 18.

8.

Veteres ecclesiæ doctores non pauca catechetica scripta reliquerunt posteritati: si catechetica ea tantum dicimus, quæ primis doctrinæ divinæ rudimentis chris-

tianos imbuunt. Huc referuntur S. CYRILLI *Hierosolymitani* catecheses XVIII. pro competentibus, una cum *procatechesi*; item quinque *mystagogicæ* ad recens illuminatos, sive nuper baptizatos. Pertinent etiam ad hanc classem S. GREGORII *Nazianzeni* oratio ad catechumenos: sermo S. GREGORII *Nysseni catecheticus major*: oratio S. IOANNIS *Chrysostomi* ad populum Antiochenum. Veteres præterea nobis reliquerunt non paucas expositiones rerum, quæ ad doctrinam christianam referuntur; etsi catechumenis peculiariter destinatæ non fuerint. *)

*) *Huc fere spectant*: Rufini *expositio in symbolum apostolorum*. (*Vide Fontanini hist. litter. Aquilei. Lib. V. cap.* 14.) Augustini *tractatus de fide et symbolo* (*T. VI. opp. edit. Maur.*) Venantii Fortunati *expositio symboli* (*Tom. X. biblioth. max. PP. Lug.*) Petri Chrysologi *sermones in symbolum apostolorum* (*Tom. VII. Biblioth. PP.*) Maximi Taurinensis *homilia de expositione symboli* (*Tom. VI. Bibliot. PP.*) Tertullianus *de oratione*; Cypr. *Tract. de orat. dominica*; Greg. Nyss. *homilia* 5. *de orat. dom.*; Petri Crysol. *sermones de oratione dominica.*

9.

In Patrum operibus quidem sparsim quædam de modo rudes religionem edocendi consignata sunt; nullam tamen catecheticam institutionem accuratius, et plenius scriptam inveniemus, quam S. AUGUSTINI Tractatum *de catechizandis rudibus* quem rogante Carthaginensi diacono *Deogratias* scripsit; et qui multa salutaria monita complectitur.

10.

In ætate media languescere cœpit fervens christia-

nos sacrâ doctrinâ instruendi studium; ac paulatim per negligentiam eorum, qui illis temporibus vivebant, factum est, ut neque ætate provecti, neque pueri christiana institutione formarentur; iidemque ipsi, a quibus muneris ratio postulabat, ut utile hoc, et necessarium negotium non negligerent, aut segniores erant, aut minus apti. Viri autem intelligentiores, qui postea ex academiis prodibant, scholasticis disceptatiunculis, aut tricis ita fuerant impliciti et capti, ut iis ad hoc neque vacuum esset tempus, neque vellent, aut satis possent populum, qui obscuros scholarum sermones minime intelligebat, religionis elementa ad ejus captum edocere. Reperiuntur tamen his temporibus quædam suscepti laboris vestigia, quem viri probi suscipiebant, ut turpi in doctrina sacra ignorantiæ mederentur. Ideo in multis conciliis edita sunt decreta: ut majori studio ad pueros christiana doctrina erudiendos imcumberetur. *) Prodierunt etiam obscuris his seculis multa scripta catechetica. **) Quod nullum in his ad temporum nostrorum usum invenimus exemplar, mirandum profecto est. Hinc tamen viros, qui pro sua intelligentia, suisque viribus in negotiis utilibus versarentur, semper exstitisse, non est obscurum. Silentio prætereunda hic nequaquam sunt illustria merita celebris, et optimi animi viri IOANNIS GERSONIS, sive *Carlerii*, academiæ *Parisiensis* cancellari, qui, potissimum annis morti proximis, pueros imbuebat primis fidei cristianæ elementis. ***)

*) *Id inter alia factum fuit an.* 633. *in concilio* Toletano IV. *ab episcopis Hispaniæ sexaginta duobus. Anno* 813. *in concilio* Moguntino, Caroli Magni *jussu habito*; *in* Turonensi *ejusdem anni. Anno* 847. *iterum in concilio* Moguntino; *in Gallicanorum episcoporum* Narbonensi *congregatione anno* 1368.

**) *Vid.* Walchii *Biblioth. Theol. select. I. pag.*

448-451 *Seculo octavo* Kero, *monachus cœnobii* S. Galli *in Helvetia scripsit* expositionem orationis dominicæ, *et lingua germanica* fidei symbolum. *E seculo nono habemus libros tres* de institutione laicali, *exaratos a* Iona, *episcopo Aurelianensi, quos catecheticos appellare licet. Multa de hac materia sunt in libris* de sacris ordinibus, sacramentis divinis, et vestimentis sacerdotalibus; *et in alio*, de institutione clericorum, *quos*, Rabanus Maurus, *archiepiscopus* Moguntinus *nono seculo exaravit. Idem* exhortationem ad plebem christianam *posteritati reliquit. Præterea huc pertinet incerti monachi* Weissemburgensis *germanica catechesis seculo nono conscripta, quæ* Ottfrido *monacho adscribitur.* Psalterium Davidicum *e latina lingua in germanicam veterem versum, et paraphrasi illustratum alii* Ottfrido, *alii* Notkero *e seculo undecimo adjudicant. Huic in fine addita est* oratio dominica *explicata, item* symbolum apostolorum, *cantica* Zachariæ, *et* Mariæ. *Orationem dominicam exposuerunt inter alios*, Bruno, *episcopus* Wirceburgensis, *seculo undecimo*; Petrus Abelardus *sec. XII.*, Thomas Aquinas, *et* Richardus de Hampolo, *monachus* Augustinianus *sec. XIV. Inter scripta* Ioannis Geileri, Kaiserbertgensis *etiam invenitur* expositio orationis dominicæ.

*) *Videatur ejus de hac re memoratu digna dissertatio* de parvulis ad fidem trahendis, *in parte III. operum ejus pag.* 277. *ex editione* Dupinii; *in qua se tuetur adversus illos, qui eum carpebant, quod rei, ut imprudentes hi judicabant, humili adeo, et abjectæ operam suam dicaret. Etiam ita appellati* testes veritatis, Waldenses, *et postea* Wiclefitiæ, *et* Hussitæ *catechismos quosdam scripserunt. Extant libelli catechetici, in lucem dati* a Joanne Wiclefo, *ab* Husso *ipsomet, ab* Hieronymo Savonarola, *a* Ioanne Wesselio, Nicolao Russo.

*

11.

Seculis recentioribus cum animadveteretur, quanta ex christianorum inscitia nascerentur incommoda; præsertim cum constaret, quo studio *Lutherus*, ejusque asseclæ conniterentur, ut doctrinæ christianæ elementis imbuerentur rudes: catholici etiam de dissipanda, quæ multorum animos occupaverat, ignorantiæ caligine serio cœperunt cogitare. *) In hanc rem concilia ecclesiastica, pontifices maximi, episcopi multa multis temporibus decreta condiderunt. **)

*) *Mirandum, et notatu dignum est, his temporibus, ubi certissime necessum erat, ut christiani christiana doctrina rite instituerentur, fuisse quosdam, quibus turpis ignorantia non tantum non displicebat; sed qui etiam pro virili meliorem instituendi modum impedire conabantur, causam interponentes, ita dictorum reformatorum vestigia insistere esse periculosum, nec utile ab antiquis institutis et moribus recedere. Horum argumenta refutata videre licet in memorabili epistola* Antonii Possevini *ad* Euonem Tarterium, *qui ob pium fervorem a nonnullis vehementissime oppugnabatur.*

**) *In concilio* Lateranensi, *sub* Leone X. *præcipitur scholarum magistris, ut ad audienda christianæ religionis initia discipulos hortentur, et impellant. In* Tridentino *Sess. XXIV. cap.* 4. *de reform. graviter serioque monentur episcopi, ut pueros in singulis parochiis rudimenta ab iis, ad quod spectat, doceri curent, et si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellant. Similia decreta edita quoque fuerunt in concilio* Mediolanensi II. (*Decret.* 2.) *et in* III. (*titulo de scholis doctrinæ christianæ.*) Clemens XI. Benedictus XIII. *et* XIV. *et plures episcopi eadem præceperunt.*

12.

Plures præterea institutiones catecheticas, partim a viris egregiis conscriptæ, partim in usus publicos receptæ fuerunt. *)

*) Erasmus Roterodamus, *ea ætate facile doctissimus inter theologos, scripsit dilucidam, et piam explanationem symboli, quod apostolorum dicitur, decalogi præceptorum, et dominicæ præcationis, quæ anno* 1533. *vel* 1534. *prodiit. Sed hanc explanationem in scholas, aut ecclesias, majorum jussu, ullo in loco receptam fuisse, non legimus. Causa est in propatulo. Nam virum hunc sincerum, et quæ sentiret animo ingenue profitentem oderant eo tempore theologi; deinde quod pacis esset studiosus, controversa religionis capita, ut multi optabant*, catechismo *suo inserere abnuebat.*

13.

In maxima semper æstimatione, ac pretio fuit PETRI CANISII *cathecismus.* Major primum editus fuit anno 1554. hac inscriptione: *Summa doctrinæ et institutionis christianæ; sive catechismus major. Minor* sæpius variata inscriptione prodivit. Jubente Cæsare FERDINANDO I. fuerat conscriptus, et in omnibus ei subjectis (*hæreditariis*) terris receptus; eratque omnis institutionis catecheticæ basis.

14.

Postulante FERDINANDO, et Galliæ legatis, catechismus ut ederetur, concilii *Tridentini* patres decreverunt, qui ut conscriberetur, pontifici summo curandum erat. Hunc *Romanum*, sive *Tridentinum* appella-

mus. Is vero potius in usus eorum, qui alios instituunt, quam instituendorum scriptus est. *) *Romæ* anno 1566. vulgatus est latine, et Italice. Postea in summaria, quæstiones, et responsiones fuit digestus. NATALIS ALEXANDER eum in formam theologiæ integræ redegit. **) Anno 1603. Catechismus Cardinalis BELLARMINI lingua Italica lucem vidit; in omnes vix non linguas fuit traductus; in epitomen etiam contractus.

*) Mabillonius *Theologiæ candidatis magnopere commendat; et grandium Theologiæ scolasticæ tractatuum loco utilius legendum esse putat.*

**) Dilingæ *jam anno* 1567 *germanico sermone fuit excusus. An.* 1761. *cura Cardinalis et Archiepiscopi* Migazzi *nova versio Germanica prodivit.*

15.

Locum in primis hic meretur CLAUDIUS FLEURY, qui anno 1679 catechismum historicum in lucem emisit. Ab omnibus, qui ante eum hanc rem tractarunt, multum differt, quod, ut S. AUGUSTINUS jam suaserat, in libro de cath. rud., historiam religioni adnectit. *) Præmissa præfatio perutilis est. Multa enim continet præclara monita de methodo religionis principia alios docendi. Nominandus quoque est *Colbertinus*, sive *Montispessulanus*; **) item notissimus catechismus curante BOSSUETO editus, et ita appellatus *trium episcoporum*, ***) et multi alii.

*) *Catechisme historique, contenant en abregé l' histoire sainte, et la doctrine chretienne.*

**) *Instructions generales en forme de catechisme, ou l' on explique en abregé par l' ecriture sainte, et*

*par la tradition, la morale chretienne, les sacramens, les prieres, les ceremonies, et les usages de l'eglise, imprimées par ordre des Mesbier, avec deux cachismes abréges, a l'usage des enfans à Brussêlle* 1722 (*et alibi persæpe*). *Auctor est* Amatus Pouget. *Etiam Latine prodiit hac inscriptione: Institutiones catholicæ in modum catecheseos, in quibus, quidquid ad religionis historiam, et ecclesiæ dogmata moresque pertinet, brevi compendio ex sacris fontibus, scriptura et traditione, explanatur; ex Gallico idiomate in Latinum sermonem translatæ, adictis singulis e scriptura et traditione petitis probationibus, et testimoniis; auctore eodem et interprete* Francisco Amato Pouget. 2. *Tomi in fol.*

***) *Catechisme; ou doctrinæ chretienne, imprimé par ordre de Messeigneurs les evéques d'Angers, de la Rochelle, et de Luzon: et reimprimé par ordre de Mr. de Verthamon, présentement evéque de Luzon pour l'usage de son diocése. Quatrieme edition, à Paris* 1756. *Inter pleniores catholicæ religionis institutiones merito pariter refertur id, quod ex gallica lingua in germanicam translatum est opus, cujus altera editio vulgata est*: Viennæ, *impensis Schmidtii, anno* 1786, *hac inscriptione. Expositio doctrinæ, sive instructiones de veritatibus fundamentalibus religionis. Eodem pertinet* Nicoli *instructiones de Symbolo; de Sacramentis; de primo præcepto decalogi; de oratione.*)

16.

Nemini non perspecti sunt labores in erudienda juventute postremis his temporibus suscepti, de qua optime merita fuit augustissima imperatrix THERESIA; quæ ad rem scolasticam generatim, atque in primis doctrinam catecheticam adjuvandam multa saluberrime

***

decrevit, multa instituit. Ea jubente, secundum normam catechismi catholici, ad usum scolarum in *Silesia*, atque aliarum a *Francisco Ignatio Felbigero* (*Bambergæ* et *Wirceburgi* an. 1771.) componebatur *catechismus explicatus* ad usum scholarum civicarum in terris Austriæ *hereditariis* (Vienne 1773.) publica auctoritate præscriptus, ita, ut ad illius ubique recepti normam juventus instruatur.

17.

Inter eas quidem institutiones, quibus disciplina traditur erudiendæ juventutis primis fidei christianæ initiis, facile eminet MICHAELIS IGN. SCHMIDTII præclarum opus inscriptum: *Methodus tradendi elementa prima religionis, sive catechizandi. Bamberg.* 1769. 8, quod germanica vertit *Benedictus Strauch*, ediditque præmisa *Io. Ignatii Felbigeri* præfatione, ac inscripsit: *Catechista secundum suas virtutes et officia, sive vera methodus docendi prima principia religionis*). Etiam præpositus FELBIGER edidit prælectiones de arte catechizandi; item PHILIPPUS IACOBUS TANGEL scripta edidit rectam apte catechizandi methodum illustrantia. Viennæ 1774.

18.

Protestantes etiam, postquam *Lutheri* catechismus fuit evulgatus, quem qua commentationibus, qua concionibus sæpissime studuerunt illustrare, acri studio, aut christianæ doctrinæ compendia, aut institutiones catecheticas conscripserunt. Cum vero paulatim plures enatæ fuissent sectæ, diversi etiam provenere catechismi. Temporibus novissimis, compluribus promovendæ institutionis catecheticæ elucubrationibus *) ansam præbuit anno 1767 a *Berolinensibus* ei constitutum præ-

mium, qui notatu dignæ quæstioni: quænam sit optima pueros prima religionis elementa docendi ratio; ceteris melius satisfecerit.

*) Gregorius Enricus Langius *in catechetico suo promptuario quod ab anno* 1781. Nordlingæ *prodire cæpit, pollicitus est, enumeraturum se esse illa scripta, serie non interrupta, aut relaturum, aspersis adnotationibus criticis, ordine chronologico.*

19.

In numerum meliorum id genus institutionum veniunt: *a*) Io. Iac. Rambachii catecheta probe instructus, qui liber primum *Ienæ* 1722. prodiit; alibi deinceps sæpe recusus. *b*) Christoph. Timoth. Seidels. Helmst. 1748. (*Institutio de vera arte catechizandi experientia fundata.*) Præcipue vero *c*) Io. Pet. Millers. Leipz. 1782. (*Manuductio ad artem catechizandi, seu ad dialogos habendos de religione; secunda editio correcta*), et quæ huic editioni adnexa sunt exempla maxime necessaria ad artem catechizandi facile, ad captum, ædificationem, ac jucunditatem discentium exercendam. *d*) Georg. Iacob Pauli, Halle 1778. (*Primæ lineæ Theologiæ catecheticæ et popularis publicis præl. destinatæ.*) *e*) Christ. Gotth. Salzmann, Leipz. 1780. *De modo efficacissimo instruendi parvulos in religione.*) *f*) Io. Georg. Rosenmullers. Giessen 1783. (*Manuductio ad catecheses instituendas.*) *g*) Georg. Friedr. Seilers Erlangen 1783. (*Principia quibus futuri populi instructores formari possint, liber secundus.*)

*) *Historiam catecheticam uberius tractarunt* Serraus *de claris catechistis Viennæ* 1777. Langemack *in historia catechetica Stralsundi* 1729. Walchius *in isa-*

*gogе in historiam catecheticam antiquæ, mediæ, et recentioris ætatis; vide etiam* Koecheri *isagogen in Theologiam catecheticam, Ienæ* 1752; *et* Milleri *artem catechizandi in introductione; quæ quidem opera posteriori loco commemorata, germanico sermone conscripta sunt.*

20.

Ex intermissa puerorum institutione omni tempore profluxit morum, vitæque licentia; non præstita fuerunt muneris officia, propagata periculosa dogmata, et opiniones pravæ, conceptæ notiones superstitiosæ; extiterunt animi a religione aversi, et ad credenda ejus mysteria difficillimi. Animarum igitur curatori, pueritiam religione christiana optime imbuere, cordi quam maxime sit. Multa in hanc rem exstant decreta. *)

*) *Concilium* Trid. *de hac re ita præcipit*: Iidem (*episcopi*) etiam saltem dominicis et festis diebus pueros in singulis parochiis obedientiam erga Deum, et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, et si opus fuerit, per censuras ecclesiasticas compellent. *Id etiam mandavit* S. Carolus Borromæus *in Concilio* Mediolanensi *anno* 1565. Benedictus XIII. *anno* 1725. Benedictus XIV. *in sua constitutione*: Etsi minime vobis. 1742.

21.

Quæ de institutione generatim monuimus; in hac etiam servanda sunt. Peculiaria tamen quædam monita non prætermittenda. Habenda nempe est ratio captus, docilitatis, intelligentiæ, et judicii, quæ admodum exigua solent esse in illis, qui primum ratione uti cœperunt. Hæc vel ad institutionem ipsam; vel instituendi methodum, quæ utilissima videri possit, attinent.

22.

Ut ad laborem et industriam incitentur parvuli, eis cognitum esse oportet magnum esse in doctrina de religione momentum, magna inde manare emolumenta. Demonstrationes frigidæ nihil hic proficiunt. Plus vero consequimur, si proponimus, quæ ad eorum ætatem et indolem accommodata sunt, quæ sensibus, et animo facile percipiunt. Hoc enim modo junctum felicitatis desiderium excitari potest, atque id effici, ut institutionem hanc non levis momenti opus; sed aliquando sibi maxime profuturum esse agnoscant. *)

*) *Videatur* Milleri *ars catechizandi* §. 26. *pag.* 30.

23.

Tenera ætas aspera, et difficilia fugit, et quæ ardua sunt, superare nequit. Sit itaque hæc institutio, quam potest fieri, maxime grata, et facilis. Quodsi *a*) magister vultu tetrico, et terribili in conspectum prodit; si *b*) aspere, et indecore cum discipulis agit; si *c*) ejus sermo languet, si remisse, non serio, et ardenter negotium hoc obit; si *d*) institutioni destinatus locus frigidus, obscurus, aut immundus est, si *e*) institutio ad fastidium aut lassitudinem audientium longius protrahitur; præcipue *f*) si ea proponuntur, quæ a puerorum intelligentia multum disjuncta sunt, attente et libenter eos auscultaturos esse, frustra speraverimus. Hinc venit puerorum incuria, et languor, non quod illorum animi a rebus divinis aversi omnino sint.

24.

Rebus externis, laudationibus, donis, oblectationi-

bus juventutis benevolentiam sibi comparare, atque discendi ardorem accendere, licitum sane est; ac præcavendum sedulo, ne forte ista teneris animis ad vanitatem et alia vitia malam quamdam propensionem instillent. Licet etiam negligentibus irrogare pœnas. Terret enim, quod in alios statum fuit exemplum. Sed intempestiva, et acerba nimis severitas gravi terrore imbellem turbam ne frangat, et a magistro, et ejus institutione abalienet, sollicite curandum est. Nunquam vero fiat, ut pœnæ loco quidquam discere cogantur.

25.

Parvulis nihil difficilius videtur, quam discere memoriter. Tædio hoc eis est, ac oneri, præsertim si ediscenda vocabula rerum, quarum nulla ipsis notio est. Quis nostrum, quæso, integras *Turcica* lingua contextas strophas cum voluptate memoriæ mandabit? Quare cruciatu hoc non affligentur, ut multa e memoria recitare, aut memoriæ mandare cogantur, quorum nullam omnino cognitionem habent. Hæc vocabulorum notitia in posterum nihil prodest. Ideo religionem docentur homines, ut clariori Dei, officiorumque suorum cognitione, et meliores, et feliciores evadant; non ut longam verborum seriem memoriter valeant pronunciare.

26.

Si dum ad populum nobis sermo est, sublimia, et difficilia in medium afferenda non sunt. (Sect. I. §. 7.) multo magis ab his abstinendum est, dum teneram, et rudem ætatem, docemus. Notetur ergo universalis hæc regula: Pueris non alia proponantur, quam illa, ad quorum cognitionem ope exiguarum, angustarumque quas habent, notionum perduci possunt.

27.

Cum ad quamcumque solidam cognitionem certus quidam ordo necessarius sit; is etiam tenendus erit illis, qui religionis elementa alios docent. In primis vero discernenda sunt necessaria a minus necessariis, facilia ab difficilioribus. Ordo maxime naturalis est, ut ducto a levioribus initio paulatim ad graviora transitus fiat. Crescentes pedetentim cognitiones et gradatim progrediens idearum evolutio, ceu duces optimæ, ostendunt viam, qua in rebus juventuti proponendis nos oportet progredi.

28.

Pueri, qui primum ratione uti incipiunt, pauca viderunt, audierunt, legerunt, pauca mente perpenderunt. Ex quo istud conficitur, initium non esse sumendum a notionibus abstractis, mysteriis, definitionibus, vocabulis technicis, dogmatibus, per quæ ab aliis discernimur etc. Ut animum advertant ad ea, quæ extra circumque eos sunt, et quæ in se ipsis percipiunt, primum est, ad quod inducendi sunt; ac inde eum in modum docendi, ut rerum pretium, discrimenque inter bonum, et malum nosse incipiant.

29.

Non eadem est omnibus parvulis ætas, non eadem ingenii vis, non eadem animi promptitudo, ideoque non omnibus eadem proponenda sunt. Distribuantur itaque in classes quasdam, et quos singulorum cognitio, ætas, intelligendi vis faciant progressus, consideretur. Mathematice vero secundum annos in classes ut distribuantur, equidem haut velim.

30.

Etsi vero certum est, tirones prima tantum, et scitu necessaria doctrinæ christianæ elementa docendos, et a facilioribus ad difficiliora progressionem esse faciendam; tamen non adeo facile est, accurate statuere, quæ cuique tironum classi dogmata, quove ordine explananda sint. Exstant multæ hujus rei methodi, diverse a diversis adumbratæ. *)

*) *Confer.* Milleri *ars catechizandi* §. 26-60.

31.

Sunt quædam præcipue quæ ceu viæ aliquæ in religionem christianam introducant; *) et partim ex ratione, partim ex revelatione nata sunt. Ante enim, quam generatim christianæ religionis systema, aut speciatim religionis catholicæ doctrinam cognitam quis habeat, oportet eum nosse, esse supremum numen, quod omnes in se perfectiones continet, homines amat, eorum curam gerit, innumera in eos beneficios contulit, eosque beatos efficere cupit. Præterea necesse est, ut quis habeat, felicis infelicisque status ideam, ut non ignoret, quæ inter bonum et malum sit differentia; hoc esse perniciosum, utile illud. Decet nosse, quid post hanc vitam homines maneat, Deum se ipsum in sacra scriptura revelasse, et misisse filium, qui docrinam, quam christiani profitentur, hominibus exposuit. Itaque dicere licet, antequam tirones religionis christianæ systema doceantur, ingerendas prius esse notiones Dei, ejusque perfectionum, loquendum de ejusdem erga homines charitate, ac providentia, de vera felicitate, de bono et malo, de supppliciis huic, et præmiis illi decretis etc.

*) *Isagoges loco in doctrinam religionis merito ha-*

*bentur libri sequentes*: (Quæstiones ad pueros faciendæ etc. Zürich 1776. Primum nutrimentum pro sensu communi. Leipsik 1781. 2. ed.) I. H. Campe. *Hamburg* 1780. Parva Ethica ad usum puerorum.

32.

Hoc loco dissolvenda est quæstio, an non præstet, apud pueros nullam omnino mentionem de IESU, atque ejus doctrina in primis vitæ eorum temporibus facere. Hæc enodanda ex alia quæstione est; scilicet utrum claras, et distinctas de Iesu, ejusque doctrina ideas hæc cognitio ad hoc conducat, ut moribus animoque probi efficiantur; sive utrum fieri possit, ut hac notitia perspicue, et distincte, et ad usum informentur. Utrumque certum esse videtur; abstineatur tantum a sublimibus, et obscuris, et res ita proponantur pueris, ut eos movere, et incitare valeant. *) Hoc profecto negligendum non est. Nostri enim pueri inter christianos educati ritus plurimos vident, plurima audiunt, quæ non ad alium, nisi Christum proxime referentur.

*) Federsenii *historia Iesu ad puerorum usum ut exemplum, et argumentum, quod asseruimus, ostendit, et probat.*

33.

Hoc modo aperta est via, ut in puero instituendo progredi jam liceat. Quodsi pueri probe tenent, quæ ad eorum animos præparandos fuerunt præmissa, *a*) breviter sacræ scripturæ summa, et historia, præcipuæque sententiæ iisdem sunt indicandæ. Erunt enim aliquando in omni vita magno usui, ut mores emendent, vitam agant tranquillam, et nullum probi christiani officium prætermittant. *) *b*) Tum licet eis conjunctim,

certoque nexu exponere de fide, ac moribus doctrinam; *c* ) dogmata etiam, per quæ ecclesia catholica ab aliis distinguitur.

*) *Exstat, inter alia, historia religionis, e sacris litteris hausta, priorum quatuor annorum millium a mundo condito ad nativitatem Iesu Christi, sermone germanico conscripta a Membro quodam societatis catecheticæ ad Alhim ect. Magdeburgi anno* 1778.

34.

Horum causâ non supervacanea erunt monita hæc: 1 ) Secundum communem institutionis regulam firmissimæ tantum afferantur rationes. 2 ) Alte imprimatur animis, non ideo, quod hæc dogmata amplectantur, se beatos posse existimare, nisi quod oportet, faciant. 3 ) Moneantur, ut prudenti, et ea, quæ christianos decet, ratione a catholica religione alienis æquos se præbeant, neve fas esse putent, diversa sentientes odisse, ignominia afficere, aut condemnare.

35.

Adulti, quorum in mentibus jam major lux, majorque rerum intelligentia est, *a* ) plura de religione, explicatiusque nosse incipiant, et adversus dubia, mala exempla, præjudicia, atque ea, quæ opponi possent, pravosque animi motus corroborentur; *b*) discant ad generalia legis christianæ præcepta sese ita componere, ut diversi, in quibus sunt vitæ, fortunæque habitus, ac conditio, diversa, ad quæ destinati vocatique sunt, negotia desiderant. Tria igitur in primis in hoc institutionis genere præstanda sunt: 1 ) Copiosius jam, et accuratius proponi potest doctrina ad fidem, moresque attinens, et rationibus, quas eorum magis illustrata

mens intelligit, confirmari. 2) Dum eos docemus, quo modo ad legis christianæ præscripta vivere conveniat, ad futuræ vitæ conditionem in primis respiciendum est. 3) Monstranda illis est ratio, qua ipsi e sacris litteris salutaria colligant documenta, illisque ad animæ emolumentum utantur.

36.

Ex his, quæ de tradendis legis christianæ rudimentis, et de instructione generatim præcipue §§. 6. 7. 8. diximus, licet agnoscere, quid existimandum sit de libris, quos ad juventutem instituendam conscriptos nunc habemus, aut quales illos esse conveniat. 1) Sint nempe ordine recto compositi; ac a facilioribus progrediantur ad difficiliora. 2) Nihil eorum contineant, quæ proprie ad theologiam, sive polemicam stricte pertinent. Sint tantum in eis præcipua religionis capita. 3) Sint secundum diversas classes distincti. 4) Stilo, quem omnes intelligant, scripti. Ex his colligere licet, ubi ea sint sarcienda, quæ in catechismo vel desunt, vel vitiosa sunt, quibus capitibus præcipue immorandum, quidve interdum prætermittendum sit. Ceterum ubi a potestate superiori libri ad juventutem instituendam universim præscripti sunt, iidem justi ordinis, et conformitatis causa retinendi sunt, et in templis æque ac scholis, dum pueri religionis elementa docentur, præ aliis explicandi. Suapte auctoritate hic quidquam immutare, pastori fas non est.

37.

Pueros ad religionem instituenti eadem fere agenda sunt, quæ omnibus quæcumque docentibus. Requiritur nempe cognitio recta, solida et practica. Catecheta scilicet curet, 1) ut discipuli menti inhæreant notiones adæquatæ, exactæque; quæ jam insint, sinistras

imperfectasque perficiat, ac evolvat. 2) Rationibus religionis dogmata vera esse, persuadeat. 3) Ad bene agendum voluntatem argumentis moventibus impellat. Ex his intelligitur, generales de instituendi modo regulas proportione quadam servata hic etiam valere. Ob discrimen, quod inter pueros, et adultos est, nonnulla tantum monita necesaria sunt.

38.

Attenta contemplatio, quomodo nascantur, et amplius evolvantur ideæ, ceu magistra optima rationem in aliis etiam ideas excitandi, aut augendi, ampliandive docebit. Qui diligentissime observat, quem in modum in omnino rudi, omnisque doctrinæ experte homine cognitiones nascantur, et involutæ ideæ sensim sese evolvant, et conjungant: solertissimus etiam et ad pueros erudiendos aptissimus magister erit. Fido igitur gressu vestigiis progredientis, et nos docentis naturæ vestigiis insistendum est.

39.

Ex iis, quæ videntur, audiuntur, continguntur, de rebus sub sensum cadentibus ideæ oriuntur. In parvulis itaque concipiuntur; si aut res ipsæ *a*) monstrantur, aut *b*) si quæ jam viderunt, vel audierunt, illorum animis ita vivide repræsentantur, ut eorum iterum recordentur; aut *c*) saltem res analogiâ quadam similes ceu præsentes exhibentur. Ad ideas a sensibus natas pertinent historiæ, externi religionis ritus, cerimoniæ etc.

40.

Notiones rerum, quæ interne percipiuntur, affectuum, aut operationum animæ, v. gr. gaudii, timoris,

admirationis, etc. nascuntur, si attendimus ad ea, quæ ipsi nos percipimus. In tironibus non alio modo id notionum genus excitabimus, quam si jubemus attendere ad illa, quæ ipsi perceperunt. Utile est, si eodem tempore, quo de his loquimur, hujusmodi motus reapse excitare valemus.

41.

Ab ideis rerum, quæ per sensus, vel internas perceptiones fuerunt cognitæ, progrediendum est ad notiones rerum spiritualium, et quæ sola cogitatione concipi possunt. Ita ex illis, quæ corpori nostro conjunctus spiritus agit, intelligitur, quid anima sit; ex rebus creatis, quas videmus, quid Deus sit.

42.

Ex observatione quarumdam notarum, vel proprietarum, quæ in rebus singularibus, vel individuis semper inveniuntur, notiones universales nascuntur. Igitur si plures res singulares auditoribus ostendimus, jubemusque ad caracteres, qui in iis sunt, animum advertere, notiones universales sibi comparabunt. Sic ex iis, quæ in *Titio*, *Cajo*, et sexcentis aliis hominibus invenio, quid homo universe sit, ostendo.

43.

Multæ notiones rerum, quæ religioni revelatæ propriæ sunt, omnino clare, et distincte exhiberi nequeunt. Satis est repræsentationibus erroneis prævertere.

44.

Ex conjunctis, et collatis inter se ideis nascuntur judicia quæ per propositiones exprimuntur, ut ideæ

*

singulæ per vocabula. Propositiones, quæ in doctrina de religione ocurrunt, historicas, vel morales, vel proprie theoreticas fidei veritates continent.

45.

Quando de veritatibus historicis agitur, danda est opera, ut claras et distinctas hominum, rerum actionumque, de quibus sermo est, tirones habeant ideas; quod fieri potest, dum quæ viderunt, vel audierunt his similia, in memoriam revocantur, et perinde ac oculis conspicienda monstrantur.

46.

Quodsi sunt veritates morales, *) ad sensum moralem provocatur. Jubentur pueri considerare ea, in quibus aliquando bonum aut malum, turpe aut honestum, utile aut perniciosum in actionibus, aut affectionibus perceperunt.

*) *Vid.* Christian Gotthilf Salzmanns Institutionem moralem una cum introductione ad fructuosum ejusdem usum. *Leipsik.* 1782-83.

47.

Cum sint religionis dogmata theoretica, quæ ita perspicue proponi nequeant, ut satis pleneque intelligantur, quod nulla in rebus humanis cum iis similitudo invenitur, id dumtaxat fieri debet, ut *a*) verba secundum loquendi modum sacræ scripturæ explicentur: *b*) Notitia tantum historica tirones imbuantur: *c*) Repræsentationes falsæ removeantur, aut potius, quid res non sit, quam quid sit, ostendatur.

48.

Propositiones, et dogmata, quæ puerorum animis imprimere volumus, aut ex sola ratione, aut ex revelatione, aut simul ex utraque nota sunt. Ex his liquet, unde argumenta, dum pueros ad religionem informamus, sint haurienda. Revocentur in animum, quæ sect. I. §§. 19. 20. de probationibus in religionis materia generatim fuere dicta.

49.

Dum argumenta ex ratione afferimus, utendum non est demonstrationibus plus æquo prolixis: digitus potius intendendus est ad ea, quæ parvuli ipsi jam experti sunt, aut in se perceperunt, aut ad veritates universales ipsius jam notas.

50.

Doctrinam aliquam veram esse, sacrarum litterarum testimoniis persuadere si volumus: seligantur maxime perspicua, et perbrevia (sect. I. §. 24.) atque illi probationi tamdiu insistatur, donec certe censeamus, discipulum sententiæ biblicæ sensum intelligere, et quæ in ea est, probandi vim animadvertere.

51.

Quodsi sunt, quæ ex sacris litteris æque, ac ratione comprobari possunt: conjungatur uterque probandi modus, et probationes, ex sacra scriptura, quoad fieri potest, ratiocinationibus idoneis, quæ ad captum sint accomodatæ, suffulciantur.

52.

Ut puerorum voluntates, quæ recta sunt, expetant,

afferendæ etiam sunt rationes: (sect. I. §. 27.) rationes, inquam, quæ teneros eorum animos ferire, et movere possint. Sed hic motus (sect. I. 11.) non subito prætervolet; inde oriatur, quod rationibus convicti, quod easdem bene intellexerint, ac perpenderint. Pueros longe aliis causis moveri, quam viros, notissimum est. Ab ea igitur parte, qua facillimus in eorum animos patet aditus, facienda est impressio. Virtus præcipue atque honestæ actiones a jucundo, quod in eis est, commendentur. Nequaquam vero tenelli pueri servili timore concutiantur, *) aut fastidium ullum eis moveatur, ut vel ipsum officii, et legis nomen aversentur. Doceantur, omnem actionem bonam Deo, et hominibus eos efficere acceptos, et felices; contra vero, si fuerint scelerati, suæ felicitatis, et societatis humanæ hostes esse.

*) Non accepistis, *cum christianæ societati dedistis nomen*, spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba (Pater) *Rom. VIII.* 15.

53.

Ut notiones distinctæ in iis excitentur, ut rationes ii plane intelligant, et velut sensibus percipiant, illustrationum fontes hic recludendi sunt. (Sect. I. §§. 15. 16. 17.) Crebro igitur similitudinibus, exemplis, et sententiis uti licet, atque ut supra animadvertimus, similitudines et exempla sumenda esse a rebus notis, ita nunc præcipua regula hæc esto: hæc illustrationum genera in primis quærantur *in mundo puerili*, id est, petantur ab iis rebus, de quibus pueri jam audiverunt, quasve jam viderunt, aut ipsimet in se perceperunt.

54.

Ad hoc, ut pueri libenter attendant, ut res ipsis

quasi aspectabiles reddantur, et memoriæ insideant, nihil adeo appositum est, quam narrationes. Sed præter ea, quæ sect. I. §. 16. monuimus, semper animo obversetur discrimen, quod inter pueros et adultos est. Historiæ ipsæ aut jam sint in rem juventutis, aut ipso narrandi modo ut ita sint, id est utiles ac jucundæ, efficiendum est. Oportet nempe in ipsis esse ejusmodi propositiones, loquendi modos, homines, rerum adjuncta, ut pueri hæc audientes, dilucide et distincte omnia intelligant; aut obscura, siqua necessario sunt in narratione, per varias explicationes vel comparationes perspicua reddenda sunt.

55.

Ad juventutem, vel homines rudes erudiendos creber jam antiquis temporibus fuit fabularum usus. Alliciunt enim animos, tenentque. Præcipua, cur rejici fortasse possent, causa videtur esse hæc: firmis rationibus, non fictionibus, iis præsertim, quæ, ut fabulæ, naturæ adeo adversantur, inædificandam esse juventutis ad instituta religionis informationem. Interea licet affirmare, illam doctrinam, quæ tandem e figmento quodam colligitur, nequaquam in ipsa fabula, sed longe aliis rationibus fundari, fabulamque non alia de causa adhiberi, nisi ut jam reapse certa, et aliis rationibus firmissime jam stabilita doctrina magis dilucide, magisque jucunde proponatur. Itaque fabulæ non omnino improbandæ esse videntur: si iis tantum ceu adjumento utimur, quo rem aliquam imaginandi vi, tanquam in icone depingamus, firmiterque infigamus memoriæ.

56.

Quidquid sub sensus cadit, et velut aspectabile exhiberi potest, ad hoc valet, ut claræ, distinctæque

notiones oriantur. Ideo cum pueri religionem docentur, crebro etiam usurpantur imagines. Hinc factum est, ut sacra biblia ornarentur iconibus; fortase etiam mos invaluit, ut sedulis sacræ institutionis candidatis præmii loco donarentur imagines. Profecto probæ imagines parvulis dono datæ et ad docendum, et ad stimulandum multo, quam libri, utiliores esse videntur. Primum enim externum libri decus admirantur; tum seponunt; deinde non facile iterum manibus contingunt. Utiliores quoque sunt, quam precatorii globuli (*rosaria*), sanctorum *reliquiæ*; *amuleta* etc. quæ frequenter pueris donari consueverunt. Verum in hac etiam re sollicite providendum est, nequid fiat, quod cum præcipuo institutionis scopo pugnet. *) *a*) Nihil in his repræsentetur, quod monstruosum, quod falsum sit, quod nauseam creet. *b*) Res quæ comprehendi nequeunt, et spirituales tantum sunt, sic ne delineentur, ut falsæ, aut nimium sensuales notiones inde valeant enasci. *c*) Earum tantum actionum imagines ad scopum nostrum accommodatæ sunt, e quibus parvuli utilia discere, aut quibus eorum animi non sine voluptate ad utilia posunt incitari. *d*) Non alia nisi consueta actionum effecta in iis sint delineata.

*) *Erant catechetes plures, qui sive in ecclesiis, sive in scholis absonas, rectoque fini adversantes icones inter catechumenos distribuerent: quapropter die* 15 *Nov.* 1785. *sanxit celsum Regimen inferioris Austriæ, ut præ ceteris imaginibus pueri donarentur iconibus aeri incisis, historiam Iesu exhibentibus, quæ tum pulchritudine, cum utilitate pretii se commendant. Prostrant autem* Viennæ *tum apud* S. Annam *in promptuario librorum, qui nomine scholæ normalis venduntur, tum apud* Harf *bibliopegam.*

57.

Cantionibus etiam sacra de religione doctrina jucundum in modum instillari potest. Audita enim facile in memoriam revocant. Ex earum fine, ex iis, quæ dicta jam sunt, ex parvulorum indole constat, oportere iis esse has dotes. 1) Sit in eis gravis, et pueris utilis doctrina. 2) Sit in eis perspicuitas quam fieri potest, maxima; absint autem inania verba quibus res nulla subjicitur. 3) Modulatio sit simplex quam maxime. 4) Habeant alias dotes cancionibus ecclesiasticis proprias.

58.

Quod ad methodum tirones docendi attinet; satis intelligi potest, non eam esse in pueris docilitatem; judicandi vim, attentionem, intelligentiam, ut ex longiore, perpetua, artificiose composita oratione fructum possint capere. Per colloquia familiaria pueros religionem docendi methodus optima, immo sola vel unica est. Hac enim ratione inducuntur, et incitantur, ut suum ipsi intellectum, et memoriam excolant. Cognoscitur præterea, quæ in eis notiones, aut animi sensa sint corrigenda, aut firmanda; adest occasio ipsos monendi, ut ad sua præjudicia, ad suos errores animum advertant. Atque ita pueros ad religionem informandi modus differt ab eo, quo adulti informantur.

59.

Perdifficile est, hanc cum pueris de religione colloquendi rationem certis regulis comprehendere. Is, qui quodam naturæ munere ad hoc negotium aptus novit, quid in erudiendis pueris præcipue spectandum sit, pe-

culiaribus regulis non indiget; cui vero natura hoc negavit, illum regulæ vel sexcentæ nihil juvabunt; mechanice rem semper aggredietur, aut machinæ ad instar operabitur. Generatim hæc animadvertenda sunt: 1) Ille tantum cum fructu laborem suscipiet, qui vero erga juventutem amore ardet. Pueri quippe facile si intelligant se amari, amantem redamabunt, prompti ad discendum, attentique erunt. Amore hoc incensus, inter multa impedimenta, quæ discipulorum levitas ei objicit, dura quæque concoquet; non ira effervescens fremet, non difficilem, asperumque pueris se præbebit. 2) Pueros docens magistri partes agere haud videatur; potius ut amicus, aut sodalis colloquatur cum tironibus: alacri comitate condiat lenem severitatem. Hoc modo, quin pueriliter agat magister, et ipsa institutio sacra a pueris amabitur. 3) Habeat ipse in mente veras, distinctas, recte ordinatas clarasque notiones rerum illarum, quas in medium affert. Præcipue autem sit ei nota animæ humanæ natura; noverit puerorum cogitandi, loquendi, agendique modos; levissimas etiam, et vix ullius momenti res, facta, casus ad commodum suum traducat. *)

*) *Vid.* Salzmann *de modis efficacissimis pueros religionem docendi.*

60.

Per interrogationes, et responsiones instituendi methodus, utilissima sane ratio est, utilibus doctrinis puerorum animos excolendi, id quod duobus modis fieri solet. *a*) Affertur dogma aliquod, vel sententia, aut historia etc. tum resolvitur quasi in partes quaspiam; variis quæstionibus inquiritur, quas notiones conceperint tirones; corriguntur responsa, ut clara, et distincta in eorum mentibus nascatur rerum cognitio. Aut *b*) initium sumitur a re quadam omnino indiffe-

renti, quæ cum re, quam, in fine, claro in lumine collocare statuimus, conjuncta non esse videtur; jubemus deinde discipulum, quid de ea re judicet, edicere; postea, quæ ex hoc judicio sequantur, ostendimus; donec tandem per connexionem idearum perveniamus ad explicationem, vel probationem illius doctrinæ, qua tironem imbuere cogitamus. *)

*) *Conf.* Salzmann *l. c. Sect. IV.*

61.

In hac docendi methodo rei cardo in hoc vertitur; *a*) ut magister quæstiones apte proponat; et *b*) datis responsis recte utatur, et curet, ut quas discipuli concepere notiones, rectæ sint; ipsique ad majorem rerum cognitionem sensim perducantur.

62.

Maxime facili et jucunda ratione instituendi sunt, qui religionis elementa discunt. (§. 23.) Igitur discipuli novi, planeque rudes dum nobis sunt, quæstiones ita formentur, ut responsa, quæ danda sunt, facile in mentem veniant. Hoc fieri potest: *a*) cum illa res, de qua in responsione aliquid audire avemus, in ipsa interrogatione jam nominatur. *b*) Cum interrogatio duo opposita ira complectitur, ut tiro non diu in dubio hæreat, utrum hoc, an illud affirmet, negetve; *c*) aut cum causa, cur discipulo hoc aliove modo respondendum sit, in quæstione continetur. *)

*) *Hac de re velim consulas* Seidelii *institutiones de vera methodo catechizandi cap.* 1. §. 3.

63.

Pueris plerisque familiare est confundere, aut

ideas permutare. Ideo dum interrogantur, omnes obscuræ, peregrinæ, dubiæ significationis voces, ac phrases sunt vitandæ; vel interrogationes sint perspicuæ, et definitæ, sive determinatæ.

64.

Parvulorum memoria verborum onere facile obruitur, et perturbatur. Sint ergo quæstiones quam brevissimæ, perspicuitati tamen non officiant. Absint omnes interjectæ propositiones, omnes longiores loquendi modi, voces superfluæ, synonimæ, ac idem significantes paraphrases, sive *circumlocutiones.*

65.

A facilioribus, ut rectus ordo postulat, initium est faciendum. Illæ ergo quæstiones semper præcedant, quæ sequentibus viam quasi sternunt, et ad quas prius respondendum est, si exspectamus responsum, ex quo rem intellectam esse cognoscamus.

66.

Frustra a discipulis petimus responsum ad ea de quibus nullæ ipsis insunt notiones, aut de quibus judicare nequeunt. Itaque illa tantum interrogentur, ad quæ ob notiones, quas jam habent, respondere valent.

67.

Cum in tradendis doctrinæ christianæ rudimentis præcipue tironum intellectus, et judicium, non sola memoria exercenda, excolendaque sit: non eadem, quæ catechismus continet, verba, iidemque loquendi modi, dum interrogamus, usurpentur; sed mutandæ

sunt sententiæ, atque etiam resolvendæ in partes. Hæc commutatio, et analysis optima ratio est, notiones mentemque tironum explorandi et corrigendi.

68.

Tam ratione discipulorum, quam regum variari possunt interrogationes. Nimirum dum multi una docentur, eadem quæstio, ad quam primum fortasse nullum fuit redditum responsum, alii ex eodem cœtu proponitur; aut is, cujus primæ erant respondendi vices, aliis vicibus, aliis verborum formulis de eadem re interrogatur. Quæstio erit maxime perspicua, si fiet ab oppositis. Hoc adjumento præcipue uti licet, si suspicamur, discipulum quæstionis sensum haud recte percepisse.

69.

De peculiari analysi vel evolutione propositionum in catechismo occurrentium, aut responsionum hæc animadvertenda subjunginius. In primis propositiones compositæ in simplices resolvuntur, aut evolvuntur. In omni, simplici etiam propositione, de re aliqua aut affirmatur aliquid, aut negatur. Interrogare itaque licet aut de re ipsa, aut de eo, quod de re dicitur, sive, ut scholæ loquuntur, de *subjecto* et *prædicato*. Sæpe etiam in propositionibus sunt quædam determinationes, adjuncta, epitheta, adverbia, conjunctiones, particulæ *clausales*, *conditionales*, *copulative* etc. quæ ansam præbent, varias quæstiones movendi. *)

*) *Legito de his Consil.* Schmidtium *in opere inscripto*: *Methodus tradendi elementa prima religionis.*

70.

Quoniam collecti in unum locum tirones animos

attentos non præbent, et sæpe partim a docente, partim ab aliis, qui adsunt, responsa falsa pro veris accipiuntur; si interrogati, clara voce non loquantur, verba mutilent, aut syllabas postremas absorbeant: satis intelligitur, discipulos eo esse adigendos, ut intrepide, clare, distincto integreque verba pronuncient.

71.

Dum plures simul erudiuntur, ut, quicumque adsunt teneantur attenti, perutile est, ante proponere quæstiones, quam nominetur is, qui ad eas respondeat. Ad doctrinam propositam efficacius confirmandam, plurimum, si qui docet, responsionem, præsertim si proba est, semper repetit.

72.

Dum tirones respondent, varia incidere possunt, ad quæ paratum habere animum, multâque dexteritate uti debet catecheta, qui labore suum cupit esse fructuosum. Nam aut *a*) nulla omnino redduntur responsa, aut *b*) penitus falsa, aut *c*) absurda, aut *d*) imperfecta, aut *e*) etiam recta. *)

*) *Legatur eam in rem* Seidels Anweisung (institutio) *cap.* 1. *Sect.* 5. §. 1. ect.

73.

Si interroganti prorsus non respondetur, bene discernendum est, utrum metus, pudor, ingenii tarditas, quo minus responderetur, impedierint; an vero quæstionem non bene intellexerit discipulus, vel non norit, quid res illa sit. Si prima causa subest: responsio non diu expectanda, neque importuno impetu exprimenda est, extorquendave. Summa potius suavitate erigendus est timidi animus, et in ipsa allccutione, et quin ad-

vertat, aut etiam directe, clareque proferenda responsio, et statim denuo eadem proponenda est quæstio. At si aliæ causæ obstant, variatis secundum §§. 67. et 68. sæpe quæstionibus, tam diu est adjuvandus; donec probe respondeat.

74.

Quodsi responsio rectæ, quæ expectabatur, responsioni prorsus contraria est, nulla interposita mora pronunciatur, errasse tironem; aut eadem quæstio proponitur alteri, aut ex responsione data, quid absurdi sequatur, ostenditur.

75.

Quandoque redditur responsum, cujus sensus nullo modo intelligitur, aut longe alio spectat: Quo fieri potest, ut a præsentibus ineptus irrideatur. Si responsio insulsa explicaretur enodatius, nimium distraherentur tironum animi. Tum catechetes responsum se non percepisse simulet gravique voce, ac vultu de eadem re interroget alium.

76.

Respondens interdum rem actu non omnino tetigit; et a scopo etiam non omnino oberrabit; sive ut brevius dicam imperfectum fuit ejus responsum. Perturbaret illius animum, qui directe refragaretur, aut responsum penitus improbaret. Igitur et declarandum est, quid bene dixerit: et per quæstiones, explicationesque novas error emendandus, et quod deest supplendum.

77.

Cum tirones illa, quæ dum doctrinæ christianæ rudimenta docebantur, fuerunt exposita aliquando ad

commodum traducere, et, quæ in pueritia didicerunt, memoriam, si occasio fert, revocare oporteat: non prorsus inutile erit, si præcipuas propositiones, quibus religionis fundamenta continentur, et graviores sententias unde probantia, et moventia argumenta sumuntur, memoriæ mandent, firmeque retineant. Hic duo observantur: *a*) memoria ediscendo excolatur; *b*) sed non obruatur; *c*) hæc exercitatio institutionis sacræ caput ne sit.

78.

Plerumque parvulis, verba memoria complecti, perdifficilis labor est, tædiumque affert. Ideo, ut hic labor quam facillimus evadat, curandum est. Hac de causa, cum ediscenda designantur, certus teneatur ordo: neque modo pauca, modo admodum multa memoriæ mandare jubeantur. Initium ducatur a paucis, et adjumenta illa adhibeantur, quæ memoria complectenda sensibus admovent.

*) *Huc pertinet* Schmidtii *methodus*; *de qua*

79.

Superiori jussu in templis, et in scholis, sacræ doctrinæ rudimentis juventus imbuitur. Ex supremæ potestatis præscripto id fit singulis diebus dominicis, initio sumpto a prima die dominica post hebdomadem integram, quæ diem omnibus Sanctis sacrum sequitur usque in mensem Septembrem. Auditores non tantum sunt ordinarii scholarum discipuli, sed etiam alii, qui scholas frequentare assiduo haud queant; item opificum tirones quorum catalogus singulis catechetis traditur, et adulti alii. Tota de religione doctrina uno anno pertractanda est, absolvendaque. In singulos etiam dies dominicos materia præscripta est.

80.

Cum methodus per colloquia familiaria pueros religionem docendi optima sit (§. 58.) clare intelligitur, utilissime eos edoceri in scholis, ubi catechetes ad eorum captum sese melius demittere, familiariter cum iis sermones, conferre, facilius eorum incuriam reprehendere, ac impedire potest. Cæsareo regio decreto die 20. Febr. 1780. edito omnibus parochis, et vicariis serio præcipitur, ut qualibet hebdomada semel saltem in parochiali schola legis christianæ initia pueris exponantur.

81.

Religionem docere proprium, et singulare munus est. Quodsi scholæ magister in hoc negotio ad subsidium vocatur, id in eo positum est, *a*) ut discipulos ad explicationes, quas parochus daturus est, præparet, curetque, ut animum in ea, quæ difficiliora in catechismo sunt, retineant. Si rudes sunt, et inepti magistri, ne hoc quidem negotium ipsis mandandum est.

82.

In templis vero si religionis rudimenta traduntur, sermoni familiari majus loci spatium obstat: et non scholastica tantum juventus adest, sed alii quoque. Itaque in allocutione quadam ita dillucida, ut ab omnibus intelligi possit de præscripta materia, quæ maxime necessaria videntur, exponuntur, argumentis probantur, atque animis alte imprimuntur. Quodsi, ut auditores se præbeant, quæstiones proponuntur, tum interrogentur ii, qui bene responsuri esse censentur. Nam ad prorsus falsam responsionem copiosius emendandam, multum temporis foret insumendum. Post hanc catechizationem

num ea, quæ exposita fuerunt, mente comprehenderint teneantque, licebit explorare.

83.

Omnis, quo cœtum aliquem de religionis materia alloquimur, sermo in sensu latiore *concio* vocari potest; in strictiore autem est allocutio ad congregationem christianorum, qui jam ut creditur, prima christianæ legis rudimenta animo complexi sunt, ut eorum cognitiones augeantur, et stabiliantur, voluntasque emendetur. Appellantur etiam orationes sacræ, *homiliæ* etc. Ex his facile dignoscitur, quid intersit inter *concionem*, et *catechizationem*.

84.

Utiles esse hos sermones, et pro christianorum conditione etiam necessarios, negari non potest. Nam opus est, ut illorum etiam christianorum, quibus nota et perspecta sunt, quæ catechismo continentur, scientia crescat, et stabiliatur, atque ad bonum ut ipsi stimulentur. Si privatim id fieri necesse esset, singulis fere familiis peculiari, qui religionem doceret, magistro opus esset. Privata igitur institutio, et catechizatio non sufficiunt. Quod nonnulli dicunt, tot concionibus homines non emendari, et homines plebejos per horæ spatium animum attentum tenere non posse, id tantum de sermonibus inepte, et inconcinne compositis est intelligendum; hujus generis nulli ut essent, optandum profecto est.

85.

De religione ad collectum populum verba faciendi perantiqua est consuetudo. Mosis *) et Iosue **) orationes ad congregatum populum sacris litteris consignatæ sunt. Jure optimo prophetas suorum temporum

oratores sacros licet appellare. In synagogis fere idem fiebat, quod primis christianorum temporibus; præcipue sabbathi die ***) religionis causa agebantur conventus, in quibus, periocha quadam e sacris libris prælecta, ab uno e legis peritis ad congregatos habebatur sermo, eaque exponebatur.

*) Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem in solitudine campestri etc. *Deut. I.* 1 *seq.* Vocavitque Moyses omnem Israelem, et dixit ad eum ect. *Deut. V.* 1. *seq.*

**) Congregavitque Iosue omnes tribus Israel in Sichem... steteruntque in conspectu Domini: et ad populum sic locutus est: etc. *Ios. XXIV.* 1. *seq.*

***) *Ut* Iosephus *Lib. II. contra Appionem*, et Philo *de vita Mosis testantur.*

86.

Ioannes præcursor concionatoris nomine dignissimus est. Eo fine verba ad undique confluentes faciebat, ut seria illos erratorum subirent pœnitentia, animum ad meliora consilia applicarent, et ad doctrinam Iesu amplectendam præpararentur. *) Iesum apostolosque primos fuisse christianæ religionis concionatores, notissimum est.

*) In diebus illis venit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudeæ: et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum *Matth. III.* 1. 2.

87.

Post apostolorum tempora propriæ episcoporum partes erant, in christianorum cœtibus de rebus ad reli-

gionem attinentibus habere sermonem: Episcopus in loco sublimi sedens, interdum etiam stans, e prælecta quadam sacræ scripturæ periocha capiebat ansam, loca quædam explicandi, aut populum exhortandi. Breves plerumque erant hæ exhortationes, neque certo firmoque fiebant ordine. In minoribus locis, ubi non erant primi ordinis sacerdotes, hoc secundi ordinis sacerdotum, negotium fuerat. Orationibus veterum, plerumque minus longis, certum tempus non erat præfinitum. Orator sacer salutabat populum, explicabat prælecta sacræ scripturæ loca, adjungebat adhortationem in fine, laudabat Dei clementiam, et auditoribus bene precabatur.

*) *Legi meretur* Bernardinus Ferrarius *de ritu sacrarum ecclesiæ veteris concionum.* Veronæ, 1731.

88.

Hujus generis sermones a priscis habiti multi supersunt. E seculo III. exstat magnus homiliarum *Origenianarum* numerus. Notandi ex eodem seculo sunt S. Cyprianus, Gregorius *Neocæsareensis.* E IV. Athanasius, Gregorius *Nazianzenus*, Basilius, Macarius, Ambrosius, Cyrillus *Hieros.*, Basilius *Cæsareensis in Cappadocia*, Chrysostomus, qui universim præ omnibus aliis, fere solus ut imitatione dignissimus, commendandus est, *) Augustinus. E V. Maximus *Taurinensis*, Leo *Magnus*, Petrus Chrysologus. E VI. Athanasius episcopus *Antiochenus*, Gregorius *Magnus.* Pretium harumce allocutionum, earumque usum, cui possunt esse, dijudicare licet ex regulis, ad quas exactam oportet esse orationem, ut proba sit. Roquesius rigidæ crisi easdem subjecit, ac pluribus etiam verbis recensuit. **)

*) *Exstant* Ioannis Chrysostomi *conciones et scripta*

*minora e Græco germanice reddita, ac dissertationibus notisque illustrata a* Cramero, Leips. 1748-51. *Vol. X. in* 8. *Quomodo sanctus hic ecclesiæ doctor imitandus sit, edocet* Reisigii *tractatus inscriptus*: Liberæ imitationes S. Chrysostomi. Amsterdam 1774. *Eodem pertinet tentamen novum liberiorum imitationum*; Leips. 1782. 8.

**) *In opere*: Forma concionatoris christiani, Specimen III.

89.

Inde a seculo circiter sexto, magis magisque ivit in deterius recta verbi divini prædicandi ratio, apud Græcos non minus, quam apud Latinos, parumque abfuit quin prorsus collaberetur; donec Carolus *Magnus*, quantum poterat malo mederetur, atque a viris ecclesiasticis quos in aula secum habebat, Alcuino et Paulo diaconos conficiendum curaret *librum Homiliarium*, ex quo, definitis diebus festis, pars aliqua scripturæ sacræ una cum adjuncta homilia prælegeretur.

90.

Diu erat, donec formam aliam indueret eloquentia sacra. Seculo XII. eminuit inter coævos suos S. Bernardus, eisdemque antecelluit vivida elocutione, fuga controversiarum, accuratiore cognitione christianismi practici, et fervore adversus multos abusus. Quam misere plerique seculo XIII. pro concione dicerent, patet ex Humberti *Romani* tractatu *de eruditione prædicatorum. Dominicani* et *Franciscani* proprie destinati fuerant promovendæ sacræ eloquentiæ: at res caruit optato successu.

91.

Cum scientiæ inciperent reflorescere, opera etiam dabatur, ut eloquentia sacra aliquo modo caput erigeret.

Tempore concilii *Basileensis* Germanice edidit POGGIUS *Quintiliani institutiones oratorias.* Paulo post transferebantur in sermonem germanicum libri *Ciceronis de oratore.* An. 1502. comparuit in monasterio *Denkendorfensi* REUCHLINI *Homiletica*, inscripta: *Congestum de arte prædicandi.* Sec. XVI. notabat celebris ERASMUS suæ ætatis eloquentiam spuriam, ac perquam gravibus verbis eam insectabatur in opere: *Des. Erasmi Ecclesiastes: sive de ratione concionandi. Lib. IV.* apud *Froben.* 1554. *)

*) *De charactere concionatorum seculo XV. vid. notitia* Goetzii de tribus concionatoribus sec. XV. *T. I. pag.* 485.)

92.

Ex quo tempore *Parisiis* eloquentiam docuit NICOLAUS CASSUINUS, ejusque liber *de eloquentia sacra et profana* comparuit: complures institutiones de eodem argumento in lucem prodierunt. Sec. XVII. præcipuam operam navabant Galli in restituenda eloquentia sacra. *) Exstant ab ipsis elaborati sermones sacri (*conciones*) plures, ac institutiones eam in rem, e seculo præcedente, præsenteque. **) Nemo est, cui cogniti non sint SAURIN, LA RUE, CICERI, BOSSUET, FLECHIER, SIGAUD, BOURDALOUE, MASSILLON, REGUIS, CHEFFASU etc. ***) Denique FENELON, GAICHIES, ROLLIN, GISBERT, atque alii institutiones eam in rem vulgarunt.

*) *Vid. historiam eloquentiæ apud Gallos etc. Tom. V. pag.* 385.

**) *Institutiones homileticas e seculo XVII. recenset* Walchius *Biblioth. select. Tom. IV. pag.* 949.

***) *De charactere concionatorum Gall. vide Diarium. Tom. II. pag.* 5.

93.

Recentiores Germaniæ concionatores hic adducere, et recensere addita crisi, nimis longum foret. Notissimi sunt: *a*) Mosheim, *b*) Ierusalem, *c*) Cramer, *d*) Spalding, *e*) Zolikofer, *f*) Sack, *g*) Reswitz, *h*) Teler, *i*) Seiler, *k*) Tober, *l*) Pfeiffer etc. *)

*) *Vid. Diarium Tom II. pag.* 101.

*a*) Ioh. Lorenz. von Mosheim, Sermones sacri universi de gravibus Religionis veritatibus habiti. *Hamburg.* 1765.

*b*) Ioh. Fried. Wilh. Ierusalems, Collectio sermonum sacrorum ad Principes Brunswici habitorum, etc.

*c*) Ioh. Andr. Cramers, Collectio aliquot sermonum sacrorum. *Copenague* 1755-56. 8. Sermones de pasione etc. *Copenague* 1759-65. 8.

*d*) Ioh. Ioachim Spaldings, Conciones. *Berlin* 1768. Conciones novæ, *Berlin* 1760. Conciones habitæ in casibus extraordinariis. *Frankf. an der Oder*, 1775.

*e*) G. I. Zollikofers, Conciones. *Leips.* 1769-71. Considerationes aliquot de malo in hoc mundo, addita admonitione de peccatis luxuriæ. *Leips* 1777. Conciones de hominis dignitate et pretio rerum ad humanam felicitatem pertinentium. *Leips* 1783.

*f*) August. Fridr. Wilhelm Sacks, *Berlin* 1735-74. 8. et Fridr. Samuel Gottfried Sacks. *Berlin* 1781.

*g*) Friedr. Gabriel Resewitz, Collectio Sermonum aliquot. *Quedlimburg* 1773.

*h*) Wilhelm Abrah. Tellers, Materia ad promovendam honestatem Christianam etc. *Helmstadt* 1768. Collectio concionum. *Idem* 1769. Conciones de pietate domestica. *Berlin* 1773.

*i*) Georg. Fried. Seilers, Conciones ad confirmandam fidem et vitæ sanctitatem. *Beyreutd* 1772.

*k*) Ioh. Toblers, Specima concionum. *Zurich* 1768. *Constituunt partem tertiam scriptorum suorum, quæ ædificationi serviunt.*

*l*) Ioh. Iak. Pfeiffers. *Kassel* 1776. *Extant quoque concionum collectiones plures. Inter alias*, Collectio selectarum concionum accomodatarum dominicis et diebus festis Ecclesiæ catholicæ per annum, ex melioribus operibus concionatorum germanicorum et gallicorum concinnata. *Hucusque comparuerunt partes quindecim.*

94.

Non omnibus esse facile probam concionem componere, ostendit multitudo magna concionum notæ deterioris, aut nullius frugi, quæ solent adhuc declamari, aut extant typis vulgatæ. Non itaque inutilem reputamus, vel supervacaneam collectionem regularum, quæ huc attinent, non sine judicio factam, selectamque accuratiori examinent. Suppetunt nobis e recentiori ætate institutiones plures, quæ præcepta tradunt sacræ eloquentiæ. In hanc classem referuntur: Blasii Gisbert, *Eloquentia Christiana germanice reddita.* Guedlimburg 1769: Ioh. Ernst Schuberts, *Manuductio ad eloquentiam sacram. Iena* 1750. Ioh. Friedr Gruner. *Idem.* Halle 1765. Christian Bastholms *Eloquentia sacra, ex Danica lingua in germanicam translata.* Copenag.

1780. Ignaz Wurz *Manuductio ad eloquentiam sacram.* Heinrich Brauns. *Idem.* Ioh. Lorenz von Mosheim, *Manuductio ad conciones cum ædificatione instituendas.* Auflage 1771. Wieh Abrah Tellers, *Brevis Epitome disserens de officio universo concionatoris in exponenda doctrina religionis.* Leips. 1763. Gotthilf Samuel Steinbarts, *Manuductio ad eloquentiam necessariam populi illuminati et morati doctoribus christianis. Zullichau* 1779. Monita, quæ subjungimus, derivamus e scopo orationis sacræ. Mittimus illas regulas, quas allocutio sacra cum profana communes habet; ponimusque grammatices, logices æsthetices, ac retorices præceptis satis jam, ut oportet oratorem sacrum tinctum esse.

95.

Ante omnia necesse est, ut cura habeatur seligendæ materiæ. Quæstioni: Quid pro concione dicam? responsio universim redditur ex scopo orationis sacræ. Id nimirum, quod intellectum, et voluntatem auditorum perficit, ac emendat; aut verbo uno, quod *ædificat.* Huc spectant observationes, quascumque de doctrinarum delectu universe tradidimus. (Sect I.)

96.

Ut autem sacer orator seligat id, quod magis sit necessarium, plurimumque valeat ad ædificationem, maxime auditorum suorum, oportet, ut rationem habeat capacitatis, et cognitionis, quam eis inesse præsumere liceat, principiorum, indolis, præjudiciorum, relationum, et is similium. Eodem pariter pertinet respectus ad singularem occasionem, qua fortasse pro concione dicturus est, ad diem festum, qui fortasse celebratur, ad tempus sibi præfixum, ad suam ipsius personam, animique capacitatem etc.

97.

Ut intellectus, et voluntas emendetur, necessarium est, ut, quæ proponitur, doctrina perspicua sit, neque desint probationes idoneæ, et argumenta moventia. Ut autem hæc omnia rite perficiantur, oportet, ut etiam placeat. Paucis: Concio sit perspicua, solida, movens, et grata. Huc referuntur omnia, quæ de explicationibus et illustrationibus. (Sect. I. §§. 13. 14. 15. 16. 17.) deque argumentis probantibus (§§. 19. 20. etc.) et moventibus (§§. 28. seqq.) monuimus.

98.

Si in concione aliqua nullo ordine commixta sunt, et perturbata omnia: obruitur memoria auditorum, dissipatur attentio mentis, atque excitatur nausea; unde fit, ut nec persuadeantur auditores, nec moveantur. Quamquam vero absolute necessarium non sit, ut partes omnes proportione geometrica inter se conspirent, aut sint dispositæ ordine mathematico: quidam tamen ordo naturalis servandus est ei, qui certum scopum sibi præfixum habeat, idque præmittat, quod sequentibus lucem afferat, et robur addat; atque cogitationibus singulis, aut meditationibus suum locum attribuat.

99.

Fieri haud potest, ut orationis scopum, qui situs est in *ædificatione* auditorum, attingat, qui in orationem unam nimiam rerum multitudinem congerit, aut de re aliqua proferre omnia cupit, quæcumque de ea dici possunt. Ne constituat sacer orator tractare plura, quam possit perficere. Atque hoc sensu, omnem concionem oportet esse brevem.

100.

Quærenti: an ad *ædificationem* sacrorum cœtuum semper sint habendæ orationes ad regulas artis exactæ? respondendum est ex hucusque dictis, formam orationis ad leges artis compositæ minime spectare ad substantiam concionis. Commode autem ea forma eligitur neque *ædificationi* obest; præcipue cum vel dogma aliquod fidei, vel doctrina morum pertractanda est. Licet autem, immo oportet, sacræ scripturæ loca integra præsertim evangelii, aut epistolarum pertractare: tum enim vero ægre fiet, ut formam orationis legitimæ semper exprimas.

101.

Quamquam per se non pertineat ad substantiam concionis, ut præmittatur sententia scripturæ sacræ: ita tamen fert omnium consuetudo. Sententia, quæ præmittitur, auctoritatem, ut ferunt, conciliet orationi, scopum oratoris designet, adjuvet memoriam audientium, atque concionatorem suis limitibus adstringat, ne vagetur. Præscriptæ nobis sunt pro diebus dominicis, atque festis pericopæ evangelicæ, et epistolicæ. In ordinariis concionibus declarantur vel integræ, vel earum pars aliqua fundamenti loco ponitur. His seclusis, libera datur optio.

102.

Facile intelligitur, quam agat inepte, qui textum præmittit, quocum concio ipsa nexum nullum habet. Si de textu definito pro concione dicendum est; eligatur materia, quæ illo continetur, aut quæ naturali planaque consecutione inde manat. Optio si datur; quæretur sententia, quæ materiæ, quam selegisti, congruat.

## 103.

E scopo hujus consuetudinis, adducendi sententiam e scriptura sacra, eamdemque præmittendi habendæ concioni, elucet porro, 1) nullam scripturæ sacræ sententiam, quæ reddit sensum imperfectum; 2) nec eam, quæ obscuritate laborat, ut tolli haud possit: 3) nec nimis prolixam adducendam esse; 4) neque commitendum, ut de textu aliquid prætermittatur, quod est momenti alicujus, quodque verum litteralem illius sensum determinat.

## 104.

Duos, tresve textus adducere prorsus inutile, ac præter morem est. Videtur etiam, si res in se spectatur, minime necessarium, ac ineptum, scripturam sacram prius adducere latina lingua, quam plerique ex auditoribus non intelligunt. Uti in hac, ita in rebus aliis sæpe exposcunt externa adjuncta quamdam indulgentiam.

## 105.

Conditio auditorum generatim postulat, ut ad meliorem eorum intelligentiam, quæ dicenda sunt, præparentur, benevolique reddantur, ac attenti. Hinc patet utilitas exordiorum, quæ nunc etiam in orationibus sacris passim obtinent. Præparantur auditores ad pleniorem intelligentiam materiæ, quæ tractatur, si textus orationi prævius declaratur, aut circumscribitur, reique de qua sermo est, applicatur. Neque obstat, quin commune quidquam præmittatur, ex quo thema selectum fuit, aut cujus partem aliquam constituit. Excitatur attentio, si ostenditur, quam sit necessaria atque utilis doctrina quæ proponitur. Sæpe etiam locus, in quo dicitur ad populum, tempus, auditores ipsi ansam præ-

bent, commonstrandi, quam apta, quamque gravis momenti sit doctrina, de qua agitur.

106.

E scopo ac fine exordiorum derivare licet regulas, quæ in iis observandæ sunt. 1) Manifestum est, inutile esse, minimeque grave aut masculum, in una eademque oratione, non uno, sed multiplici exordio uti. Uni certe libro non solet præfigi, nisi introductio, aut præfatio una. 2) Sit exordium, eo ipso, quod exordium sit introductio ac præparatio, breve, atque orationi accommodatum. 3) Nihil in eo adducatur ex his, quæ attinent rationes probantes, aut partes orationis alias; multo minus contineat repetitiones inutiles, alioquin lassantur auditores, tantum abest, ut excitentur. 4) Æque defatigantur: si ita commune est exordium, ut pæne concionibus quibuscumque ex æquo aptari, posset; aut si longius arcessitur. 5) Cum exordia destinata sint auditoribus excitandis, inflamandisque, necesse est, ut dicendi genus minime languens in illis sit, sed vividum. Absit tamen, ut stilus intendatur nimium: quandoquidem dumtaxat præparandi tum sint animi; nondum persuadendi, impellendive ad concipienda meliora proposita.

107.

Ut attentio auditorum eo flectatur, in quo rei cardo vertitur, de qua disserendum est, summa argumenti, in quo exponendo concio versabitur, ponitur ante oculos; id quod *propositionem* appellant. Propositiones, quæ demonstrari haud queunt, obscuræ, prolixæ, arte quæsitæ, problematicæ, allegoricæ, et his similes patenter adversantur scopo orationis. Propositio sit 1) momenti gravis, afficiatque auditores, 2) sit perspicua, 3) brevis, 4) vera

108.

Totum aliquod non desinit esse totum propterea quod constet partibus pluribus. Itaque unitati orationis haud obest, si doctrina in ea proposita suas in partes dispescatur; eaque *divisio* auditoribus indicetur. Quanquam vero reputandum non sit, esse necessarium, ut conciones omnes dividantur in partes: istud tamen institutum neutiquam rejiciendum esse videtur, præcipue, dum in concionibus, quemadmodum nunc sunt, ratio habenda est instructionis, et doctrinæ. Sæpe fit, ut *divisio* lucem adferat materiæ, sitque adjumento concionatori, dum orationem elaborat, memoriamque auditorum juvat.

109.

Sequentes regulæ notandæ hic sunt: 1) Partes non dicant idem aliis duntaxat verbis: 2) constituant verum aliquod totum: 3) non tritæ, nec vulgares sint: 4) perspicuæ sint, breves, et cum decoro propositæ: 5) non frigide repetantur in concione; nec iterum iterumque proponantur. Quæ vulgo solent objici adversus dividendi institutum, maximam partem attinent id genus divisionum, in quibus traditæ regulæ haud observantur.

110.

Sæpe fit, ut materia patiatur, aut postulet *subdivisiones*. Uti divisiones, ita et hæ non merentur prorsus rejici. Cavendum tamen est, ne multiplicentur nimium; alioquin perturbant auditores, et ipsummet concionatorem. *) Frigescit oratio, et temporis jactura fit, si ubilibet diserte proponuntur. Maxime cavendum est, ne id fiat in divisione principali

*) *Nihil est insulsius, nihil magis remotum a com-*

*muni cum hominibus loquendi modo, quam accurata tabellaris methodus. Non habet compertum discrimen inter concionem, et institutionem scholasticam, qui omnem artem suam in eo reponit, ut in concionibus singulis numeros 1. 2. 3. solemnes sibi, ac familiares habeat. Persæpe id mali accidit hujusmodi concionatoribus, ut unum idem dicat, ac duo, aut tria.*

111.

Essentialem concionis partem constituit *tractatio.* In solitis sacris cœtibus communiter tractatur, sive ipsa scriptura sacra, sive ad ductum selecti textus certa aliqua fidei, aut morum doctrina explicatur. Duplex itaque concionum principale genus distinguitur. Alterum versatur in exponenda scriptura sacra; alterum in exponendo religionis aliquo dogmate occupatur. Quodnam ex utroque genere sæpius eligendum sit, adhibendumve, edocebit conditio sacri cœtus, et adjunctorum.

112.

Quæstioni: num magis expediret, in sacris conventibus exponere integros scripturæ sacræ libros, aut saltem integra, sibique connexa capita, eventus, doctrinas etc. eademque ordine declarare populo? respondeo, affirmandum esse, si res in se spectatur. Hinc fieret 1) ut populus magis intelligeret, quid ferret scriptura sacra; (Sect. I. §. 43.) aptusque efficeretur ad eamdem majore fructu legendam: 2) concionatores, si res in praxin abiret, ipsimet impellerentur, ut discerent intelligere accuratius scripturam sacram: 3) parceretur operæ, quæ sæpe insumitur, ut e textibus subinde parum frugiferis, materia ad dicendum eruatur: 4) demum pastori animarum per hebdomadam occupato facilius fortasse foret, subsidio fructuosi interpretis de

longiore scripturæ sacræ loco utilius aliquid proferre, quam habere concionem solitam. Interea concionatori integrum non est, proprio marte discedere a recepta consuetudine, et præscriptionibus ecclesiasticis, quibus adstringitur certis evangeliorum, et epistolarum pericopis. * )

* ) *Inter libros alios huc pertinent*: Liber manualis ad rectam intelligentiam et usum Evangeliorum et Epistolarum dominicalium et festivalium, *et* Summaria eorumdem. *Multa utilia pariter exstant in opere*: Evangelia dominicalia in linguam vulgarem versa, explicata et ad edificationem applicata.

113.

Ex scopo publicæ institutionis perspicuum est, duo potissimum spectanda esse in tractandis scripturæ sacræ textibus. 1 ) Curandum est, ut populo clara notio de sensu textuum, de quibus agitur, ingeratur; et 2) edocendi sunt auditores, qua ratione ad emendationem, et ædificationem hujusmodi sententiæ traducendæ sint; sive? oportet consecutiones practicas hinc derivare. Paucis: Res omnis pendet a declaratione textuum, eorumdemque applicatione ad sensa, actionesque auditorum. * )

* ) *In declarationibus textuum, quæ communi cedant utilitati, magnopere conducunt probæ periphrases.* Erasmi Roderodami paraphrases in N. T. Berol. 1777–80. 3. *Vol. 8. compendio optima quæque complectuntur, quæ Patres ecclesiæ in novum testamentum scripserunt. Inter paraphrases recentiores, quas Germani juris publici fecerunt, spectant inter alias ( Paraphrasis explicativa 4 Evangeliorum,)* et *Eadem Epistolarum, Apostolicarum. Ex catholicis huc referri merentur, Evan-*

*gelium membratim expositum et secundum ordinem historicum 4 Evangelistarum editum, cum annotationibus, juxta edit. gallicam.) Ejusdem, historia et scripta Apostolorum explanata.*

114.

Explicationes, quæ hoc loco proferendæ sunt, requirunt in concionatore egregiam cognitionem regularum hermeneuticarum. Hæ plerumque plus lucis adferunt, quam prolixi commentarii. Servanda hic sunt monita generalia, quæ de explicationibus (Sect. I. §. 13. seq.) sunt tradita. Præcipue notandum est, vocabulorum explicationibus haud esse opus, dum verba perspicua sunt, res autem obscuræ; aut e converso abstinendum esse ab explicationibus rerum, dum vobabula explicatione indigent. Quod si tam verba, quam res plane perspicua sunt, id unice est, ut agendum ut doctrina, quam continet textus, rite tractetur. Si theoretica est, ostendere oportet nexum quem habet cum ceteris; et qua ratione valeat ad provehendam pietatem: (Sect. I. §. 41.) si practica est, ponatur ante oculos, quam gravis ponderis sit officium, de quo quæritur, quanta prævaricatores pœna maneat, quæ sint consueta effugia etc. (Sect. I. §§. 66.)

115.

Cum, ubi agitur de explicatione scripturæ sacræ in cathedris, textus eum duntaxat in finem explicatur, ut accurata cognitio de veritatibus religionem attinentibus atque pietas in auditorum animis promoveatur: perspicue intelligitur, eum culpa haud vacare, qui criticam, et philologicam eruditionem venditare hic vellet, aut Iudæorum vel gentilium antiquitates copiosius explicare, vel adducere diversas interpretum opiniones; verbo, qui ita vellet explicare, ut in eruditis commentariis fit.

116.

Cum porro sacri doctoris sit, verum sententiarum scripturæ sacræ sensum perspicue proponere populo, sequitur, non esse illicitum, easdem, si quidem usitate versiones *) aut nullum, aut prorsus obscurum sensum reddunt, exigere ad textum primævum, ac emendare. Caveat tamen, ne suæ dexteritati fidat nimium; sed omni cautioni adhibita, ac tum demum, cum necessitas exposcit, ab aliqua translatione discedat, cui jam diu assueverit populus.

*) *De germanicis scripturæ sacræ translationibus, quas catholici adornarunt*, *vid.* Specimen Historicum de Romanocatholicis versionibus S. Scripturæ germanicis. *Nürnb.* 1781. *In earum classem, quæ maxime usui esse possint, merito ex recentioribus venit ea, quæ inscribitur: S. Scriptura secundum antiquissimam, vulgarem, a catholica Ecclesia approbatam versionem germanice edita. Fuld* 1778-81. Editio altera emendatior est multis modis anteponenda priori.

117.

Ex eo, quod instructionem oporteat esse solidam, atque auditores persuadendi sint, efficiendique certiores de his quacumque proponuntur; (Sect. I. §. 19.) nascitur officium, adducendi argumenta, quæ evincant, explicationem veritate niti; nisi hoc ipsum, quin probationibus opus sit, jam aliunde perspicue elucescat. Quantum ad has etiam probationes habenda est ratio earum regularum, quarum supra meminimus. (Sect. I. §. 20.) Ex his regulis indubitate constat, explicationes textuum inepte iis rationibus superstrui, quæ philologiam, criticam, aliasque scientias, quarum notitia auditores fugit, requirant.

118.

Probationes, quibus efficitur, rite explicatam esse scripturam sacram, petuntur 1.) ex orationis scopo, 2) nexu, 3) consequentibus, aut natura rei, de qua sermo est, 4) ex adjunctis, moribus, institutis illorum temporum, 5) ex locis parallelis, hisque similibus. Quantum ad ea, quæ posterioribus locis commemoravimus, cavendum est ab inutili, ac perturbationem generante prolixitate.

119.

Loca scripturæ sacræ, de quibus habenda est concio, vel *historica* sunt; quo etiam referri queunt *prophetica*, quæ eventum exhibent rerum futurarum; vel *dogmatica*. De utroque hoc genere nonnulla speciatim observare licet.

120.

Ut auditores ex historia scripturæ sacræ, de qua agitur, fructum percipiant: necesse est, ut accuratam, perspicuam, perfectamque illus notionem habeant. Hinc sequitur, concionatoris esse, 1) ut adjuncta, quæ in textu occurrunt, vel ex ipso textu, vel ex eventis similibus declaret; omissaque adjuncta, quæ ad plenam historiæ notitiam pertinent, suppleat, caveat vero, ut ne adjiciat adjuncta ultro conficta, haud verisimilia, parvique momenti; 2) ut causas, quæ ad agendum impulerint, adducat; 3) judicium de factis ferat; et quoniam hæc omnia referenda sunt ad praxin doctrinæ christianæ; 4) varii generis consectaria, quæ plane ac sponte sua fluant, valeantque ad emendationem animorum, ex historia deducat.

121.

Quodsi textus prophetiam continet, opera danda est, 1) ut sensus litteralis; 2) ejusdemque impletio clare innotescat. 3) Monstretur, quem auditores ad sui emendationem inde fructum possint capere. Cura maxima secernantur hic ea, quæ clara sunt, ab obscuris, certa ab incertis; neque torqueantur auditores conjecturis inanibus, neque fingantur typi, ubi non sunt.

122.

Si de textibus scripturæ sacræ, qui dogmata continent, habenda est concio, eo incumbendum est oratori sacro, velut ex scopo concionis, atque ex auditorum conditione apparet, 1) ut verborum vim, et significationem accurate determinet, et obscuras, insolitas, atque figuratas phrases declaret: 2) doctrinæ cohærentiam, atque nexum monstret: 3) rationes sive probantes, sive moventes, quæ in textu sunt, explicet; et ubi non sunt, ipsemet supperaddat: 4) demum doctrinas universales peculiaribus adjunctis, casibusque applicet.

123.

Sæpe fit, ut sub parabolæ involucro doctrina lateat. Nunquam non habeatur hic præ oculis scopus ejusdem principalis, qui sæpe cognoscitur ex præcedentibus, consequentibus, aut epiphonemate, quod parabolæ subtexitur; sæpe ex parabola ipsa eruendus est. Secernantur hic ea, quæ spectant ad scopum primarium ab his, quæ pertinent ad integritatem, aut ornatum parabolæ.

124.

Dum in concione sacræ scripturæ locus ipse trac-

tatur: usui esse potest methodus duplex. Vel enim 1) locus scripturæ sacræ, de quo habendus est sermo, expenditur, textibus singulis ordine ad examen revocatis, explicaturque ac probatur, quod explicatione indiget aut probatione, fusius expositis iis, ubi necessitas postulaverit, ac ex textibus singulis mox derivantur consectaria, quæ faciant ad *ædificationem*: hocque loco nihil est observandum præter ea, quæ jam monita sunt. Vel 2) certus servatur ordo, dum argumentum textus, suas in partes divisum, in unam propositionem principalem cogitur.

125.

Sive textus contineat historiam, sive dogma, aut prophetiam: facile apparet, esse vel in loco scripturæ sacræ, de quo agitur, istiusmodi conexionem, ut partes diversæ unum aliquod totum constituant, vel multiplicis generis doctrinas, eventus, etc. quæ nullo inter se nexu conjuncta sunt, exhiberi. Nexus ubi reperitur, eventus aut doctrina principalis propositionem principalem constituit; cetera, quæ illi conjuncta sunt, partes formant. Ubi vero nullus est nexus, eventus plures, doctrinæ, prophetiæ etc. ad notionem aliquam principalem reducendæ sunt; eoque pacto concionator ipsemet inveniat, statuatque propositionem, quæ singulas in textu obvias partes continet. Curandum autem hic est sedulo, ne regulæ de divisionibus supra (§§. 110. 111.) præscriptæ negligantur.

126.

In illis concionibus, in quibus non textus, sed pro arbitrio electa propositio tractatur, divisio petenda est a materia, de qua agitur. Id quod supra (Sect. I. §§. 12-32.) de modo doctrinas christianæ religionis trac-

tandi diximus, suppeditat fontes plures, unde divisiones hauriri queunt. Sæpe explicationes, argumenta probantia, et moventia totidem subministrant partes. Dum dogmata aut veritates proponuntur, in statuendis divisionibus ratio etiam haberi potest fundamenti, cui innituntur, doctrinarum singularium, quæ illic continentur, aut ambitus, vel consectariorum, quæ inde fluunt. Sæpe tot sunt partes, quot sunt rationes vel probantes, vel moventes. Quodsi laudanda est persona aliqua, proponendave exempli loco; considerare oportet diversum illius statum, rationem, munera, relationes, conditionem in quibus versabatur; aut seligere virtutem singularem vel actionem ejus, ostendereque, per plura divisionum capita; quo modo multiplici vel exercuerit virtutem aliquam, vel superarit impedimenta, quæ sibi objecta habuit, et his similia. Dantur præterea multæ aliæ divisionum species. Verum uti regulis aut præceptionibus multis hic haud egent, qui ipsemet inveniendi, recteque judicandi facultate gaudent; ita aliis, quibus hæc facultas deest, fere sunt inutiles.

127.

Unum e præcipuis, quorum in concione habenda est ratio, est, ut auditores id, quod perceperunt, pro suis quisque adjunctis, indigentiis, relationibus etc. in usus suos, ut oportet, transferant. Ejusce rei institutio nominatur *applicatio.* Solent plerumque distingui quintuplicis generis applicationes; cum nimirum ex materia in concione proposita hauritur *a*) vel solatium, *b*) vel monitum *c*) vel doctrina, *d*) vel refutatio, *e*) vel correptio. Quis sit modus servandus in docendo, corripiendo, consolando, admonendo, supra traditum est. Facile intelligitur fieri non posse, ut omnes istæ applicationum species ubilibet locum habeant.

128.

Quodsi argumentum concionis ipsius constitit in doctrina aliqua, vel monito etc., opus non est, nisi explicatione generali; quæ quidem in eo fere sita est, ut id, quod de doctrina aliqua, vel officio propositum fuit cum hominum vita, agendique ratione comparetur. Ostenditur nimirum, quam parum consentiant hominum mores cum doctrina tradita. Monentur, ut accuratius documento salubriori pareant. Breviter graviterque proponuntur fructus, qui inde manant, et his affinia. Etiam hic aliqua discussionis, sive examinis ratio locum habet: dum 1) diversæ hominum clases pro diversitate ætatis, officii etc.; vel 2) diversi modi lustrantur quibus adversus hanc, illamve præscriptionem peccetur; exerceaturve virtus, aut vitium committatur.

129.

De applicationibus tradi solent sequentes regulæ, 1) cum non debeant esse plena materiæ tractatio, sed solum consectarium sint, hinc derivatum, ejusdemque applicatio: non sint plus æquo prolixæ; neve novam quasi concionem constituant. Eadem de causa 2) connexionem habeant cum argumento, de quo in concione est actum. Cum denique hic primario movenda sit voluntas; stilum, ac elocutionem vividam præ se ferant.

130.

Huc itaque pariter pertinent delineationes morum, de quibus fere hæc solent præcipi: 1) Non proponantur characteres, et actus, qui nonnisi in mente existunt (*ideales*), nec prorsus singulares, extraordinarii; sed adumbretur communis hominum agendi ratio universe,

ac præcipue eorum, qui sunt coram. 2) Vitia non repræsententur tam jucundis coloribus, ut alliciant; quasi hortator ad illa esset præcertorve, qui verbum Dei prædicat. (Sect. I. §. 99.) 3) Res nauci, et levidenses omittantur, indignæ cathedra, ac alienæ a gravitate oratoris sacri. Nativæ, ac perspicuæ adumbrationes fieri queunt, quin imitemur modum agendi in spectaculis usitatum, ac familiarem histrionibus, risu dignum. 4) Præcipue adhibenda est cura, ne fiant descriptiones personarum singularium. (Sect. I. §. 97.)

131.

Cum naturæ repugnaret æque, ac scopo, subito abrumpere orationis filium, ac cathedra discedere: adjungendus est concioni epilogus. Ut auditoribus materia adhuc semel ponatur ante oculos, quam apud se reputent, et ut argumentis, quidquid est roboris superaddatur quæcumque dicta sunt, qua fieri potest, brevitate repetantur. Ut melioribus conceptis propositis dimittantur, eorum animis gravibus verbis sunt inculcanda denuo, quæ dicebantur. *Epilogus* itaque sive *peroratio* constat repetitione dictorum, ac animorum motione.

132.

Repetitionem (anacephalæosin) quod attinet, non est, 1) cur quis nimis anxie eam sibi sequendam putet: præcipue usui est in concionibus dogmaticis: 2) sit brevis: ne nova nascatur oratio: 3) neque nimis sit arida. In monitione animorum 1) rationes probantes, et moventes non prolixe exponantur; sed contractæ in pauciora: 2) crescat præterea vis tum elocutionis, tum sensus.

133.

Generatim de conclusione adhuc notandum est, 1)

nihil in ea locum habere debere, quod proprie ad tractationem pertinet, non nova argumenta, non descriptiones, refutationes etc. 2) non esse abutendum patientia auditorum, neque esse eos verbositate lassandos; et. 3) ad epilogum, quin quis fere advertat, esse delabendum. Naturæ adversatur concionator, qui, cum maxime fervere videtur, orationem subito abrumpit.

134.

Sermonem omnem finiat aut votum pro auditoribus, aut præcatio, cujus argumentum communiter in promissione, id, quod dictum est, implendi, aut in precibus pro divina ope implorando consistit. Id duntaxat hic cavendum est, ne eadem semper chorda oberretur, id quod fastidium parit. Puerile est, acuto dicto sermonem claudere.

135.

Finita concione communiter præleguntur preces sacræ. Cum longiore usu, ac consuetudine fere fiat, ut res deproperetur, neque satis intelligantur, quæ dicuntur: omne studium adhibendum est, ut distincte, tarde, ac cum dignitate recitentur. Prælegendæ etiam sunt ordinationes Cæsareo-regiæ, adversus quas si videntur auditores præjudiciis laborare, data opportunitate earumdem fructum, et æquitatem ostendere expedit.

136.

Cum non id solum in concione agatur, ut id, quod bonum est, ac ad emendationem facit, dicatur; verum etiam, ut id, quod ædificationis est, convenienter, scopo, qui est emendatio, instructio, et motio auditorum, distincte, grate, graviter, ac ita ut moveat, dicatur: multum interest, tum qua ra-

tione cogitationes rite componantur, conjungantur, ordinentur. Primum appellatur *elocutio*, alterum *stilus.*

137.

Elocutio complectitur cogitationes, et verba. Plena hac de re institutio pertinet ad artem oratoriam; partimque ad logicam. Paucis hic monemus: 1) de cogitationibus: sint *a*) veræ; *b*) non vi, aut obtorto collo attractæ: *c*) distinctæ: *d*) vividæ, *e*) sano sensu venustæ: *f*) interdum sublimes. 2) De verbis, aut phrasibus: vitentur *a*) vocabula superflua, *b*) vitiosa, *c*) ea, quæ accurate rem non exprimunt, *d*) quæque intelligi haud recte queant, v. g. verba e linguis peregrinis petita, quæ civitate donata non sunt, termini technici, phrases scholasticæ hebræo in habitu ect. *e*) ignobiles, plebejæ, a natura abludentes, excedentes modum comparationes, v. g. rerum parvarum cum maximis.

138.

Stilus concionibus accommodatus, iisque congruens, ante omnia secernatur a methodico, multa arte perpolito, erudito. Differt 1) phrasibus, 2) descriptionibus, aut definitionibus, 3) propositionibus, 4) ratiocinationibus etc.

139.

Stilus communiter dividitur 1) in *sublimem*, qui prorsum festivus, serius, gravitate ac majestate plenus est; 2) in *vulgarem*, sive familiarem, qui obtinet in colloquiis, epistolis, narrationibus; et 3) in *medium*, qui perspicuitatem cum venustate conjungit. Plerumque in concionibus obtinet stilus medius. Ubi sublimis, aut familiaris adhibendus sit, ostendet tractatio et materia. Aliter efferendæ sunt narrationes, aliter ea, quæ affectus exprimunt: aliter refutationes etc.

140.

Satis hinc apparet, quis sit usus ita dictorum *troporum*, et *figurarum* in sermonibus sacris. Figuræ non sint anxie quæsitæ, sed plane ac naturaliter sese ingerant orationi. Vehementiores vero generatim evitentur. Tropi tum duntaxat adhibeantur, si res vocabulis, aut phrasibus propriis vel plane non, vel non ita potest exprimi, ut res, aut scopus postulat.

141.

Quo pacto comparare sibi quisquam probum, idoneumque stilum possit, certis regulis præcipi haut potest. Oportet 1) ut quis rite percepta habeat præcepta grammatices, ac verborum copiam sibi acquirat; 2) libros legat stilo (*populari*) ad captum populi accommodato conscriptos: 3) cum auditoribus suis agat, ut intelligat modum, quo se ac sensa sua de rebus religionis exprimant; et 4) indaget, præsertim initio, dum litteris quidquam mandat ad instructionem suorum pertinens, ac ad singula fere vocabula investiget, num sint istiusmodi, ut intelligi ab auditoribus facile possint.

142.

Regulæ modo traditæ singularibus etiam concionum speciebus, quarum usus numquam in ecclesia deerit, applicari queunt; quæ si conferantur cum his, quæ de instructione generatim dicta sunt, opus non est peculiari institutione, quæ attineat sermones de mysteriis, conciones dogmaticas, morales, catecheticas etc. Aliqua fortasse adhuc monenda sunt de his, quæ spectant conciones de Sanctis, aut eas, quibus peculiaris quidam eventus occasionem præbuit; vel polemicas.

143.

Cum exempla nunquam non multum valeant ad movendum, atque ad imitationem potenter alliciant, (Sect. I. §. 31.) dubium non est, allocutiones de personis, de quarum pietate inter omnes constat, semper utiles esse. Perspicuum autem pariter est ex regulis, quas de instructione præscripsimus, quæ vitia hic potissimum vitanda sint. 1) Laudanda non est nisi vera virtus. Laudandæ itaque non sunt actiones, neque sunt imitationi proponendæ, quæ infirmi potius animi debilitatem, quam solidam pietatem redolent; idem dicendum de cogitatis aut inventis singularibus: de quibus quidem indulgentius est judicandum, si de hominibus agitur, quorum decisa sunt, atque indubitata merita. (Sect. I. §. 31.) 2.) Solum ejus generis virtutes proponantur, quas auditores, quos coram habemus, pro suo quisque statu, ac destinatione imitari possunt, et debent. Generatim in numero auditorum non habemus imperatores, episcopos, eremitas, aut virgines sacras, etc. 3) Sanctus de quo sermo est, non Deo par habeatur, neque ceteris sanctis omnibus anteponatur. 4) Miracula, apparitiones, revelationes, etc. quæ fidem superant, nullum hic locum merentur.

144.

Conciones polemicæ magno commodo religionis Iesu, quæ pacem prædicat, abrogatæ sunt Augusta constitutione, edita die 16. Ian. an. 1782, ac suo quidem merito: potius enim valent ad alendam discordiam, et spiritum persecutionis promovendum, ac membra societatis perturbanda, quam ad ea in doctrina religionis stabilienda. Præterea, etsi cetera omnia absint, alteri religioni addictis sensa alia ut inspirentur, tam breve tempus, quo concio absolvenda est, haud sufficit.

145.

Allocutionum, quæ sunt in casibus singularibus, aut concionum, quibus eventus aliquis singularis occasionem præbuit scopus est, homines instituere, qua ratione convertere debeant hunc, illumve eventum ad *ædificationem*, animique emendationem. Responsum, quod redditur quæstioni: Quæ sensa, quos affectus, quas meditationes, quæve proposita casus iste inauditorum animis producat? constituit argumentum hujusmodi sermonis. Hinc percipitur, propositionem principalem oportere esse connexam cum eventu; neque arte, aut vi huc trahendam esse. Ea quidem connexio ostenditur in exordio, in tractatione autem semper ratio habenda est dispositionis animorum, in quam vel lætus, vel tristis casus auditores conjecit. *)

*) *De orationibus funebribus, et iis, dum novus sacerdos primum sacrificium Deo offert, atque de orationibus eucharisticis videantur regulæ, et exempla in* Wurzii *institutione.*

146.

Dubium non est, efficaciorem fore allocutionem, si in subsidium una vocentur vox, lingua, habitus corporis, gestus, mores, ut afficiantur auditores, efficianturque ac serventur attenti. Hinc sequitur magnopere interesse, ut quis apte pronuntiet. Cicero eam actionem vocat *eloquentiam corporis*; neque aliter loquuntur Quintilianus, et Demosthenes.

147.

Multum de sperato fructu concioni decedit; si solum prælegitur. *) Ut id, quod dicimus, altius infi-

gatur auditorum animis, necesse est, ut concio videatur, sponte sua ex animo fluere, non multa arte quæsita esse, elaboratave. Libri *Homiliarum*, qui fortasse ad unitatem doctrinæ retinendam possent prælegi, in summa penuria idonei religionis magistri tenue quoddam subsidium forent; nunquam enim ita confici poterant, ut singularibus indigentiis et adjunctis diversorum cœtuum ex æquo mederentur, aut congruerent. Præterea, si in usum reciperentur, fieret, ut omne studium, aut contentio in pastoribus animarum tolleretur.

*) La Rue *contendit, prælegendas esse conciones, quod quidem institutum apud Anglos usu receptum est. Germani sunt assueti allocutionibus liberis.*

148.

Dotes, quæ generatim requiruntur ad probam pronuntiationem, sunt: 1) Sit naturalis, id est, accommodata personæ oratoris: 2) non coacta, neque impedita animi affectionibus, præcipue metu: 3) sit vivida, at non sæviens, neque tumultuans: 4) cum dignitate, ac gravitate conjuncta sit.

149.

In pronuntiatione habenda est ratio 1) totius externæ corporis compositionis, 2) pronuntiationis verborum, atque 3) gestus. Cum oporteat pronuntiationem esse naturalem, ac fere eam, quam quisque sibi propriam habeat, videntur regulæ parum hic proficere. Generatim monendum est adversus vitia communia, dicendumque: Illud est vitandum, quod omnium consensione decoro adversatur.

150.

Multum interest, externum corporis habitum rite compositum habere. Prodeat concionator tanquam vir; seque præsentem exhibeat, velut, cui serium id plane sit, quod agit; qui maximi momenti doctrinas, de quarum veritate plenissime persuasus sit, proponat; quique studiose quærat salutem auditorum. Vitio itaque verteretur, si velut anxius ludi literarii puerulus, aut semota gravitate levis, aut frigidus et indifferens, vel elato, arrogantique supercilio, aut affectata humilitate, vel pietate hypocritica compararet.

151.

Gestus uti prorsus negligendi non sunt; ita nec sint nimii. Ita vero se habeant, ut et rei, et personæ oratoris congruant. Vitetur id, quod in illis est rigidum, atque vehemens, abhorrens a natura, indecorum, falsum, ac ad quasdam quasi artis regulas studiose compositum est.

152.

Pronuntiationem quod attinent, ita loquatur sacer orator, ut possit intelligi, naturæ suæ, reique accommodate. Loquatur itaque 1) plane et diserte, lente, servandisque interpunctionibus det diligentem operam, nec postremas syllabas decurtet et quasi deglutiat. 2) Alienam vocem ne imitetur, aut exprimat; neque vocabula protrahat in longius, nec impetu nimio protrudat; habeatque quod vocis intentionem spectat, rationem loci, ejusque ambitus. 3) Tandem pro diversitate rerum vocem mutet. Modo leni ac *familiari* utatur, ut in narrationibus, explicationibus, observationibus etc. modo *intensa*, velut ubi sermo est de rebus sublimibus, solem-

nibus precandi formulis, gravibus adhortationibus, ac vivis rerum descriptionibus; modo *media*, dum nimirum solum instruit, aut persuadet. *)

*) *Vid.* Manuductio ad Eloquentiam etc. Steimbarts *pag.* 136.

153.

Cum pronuntiationem oporteat esse naturalem (§. 149.) omnis fugienda est servilis imitatio. Ne langueas, aut frigescas, necesse est, ut in elaborando non minus, quam pronuntiando materia penitius animum penetraverit, ac occupaverit totum. Non hic cogitandum est de elocutione, neque de orationis argumento; sed præcise de eo, quod agitur. Ut id, quodcumque planum non est, neque naturale evitetur; animus nulla re alia impediatur. Quare magnopere opus est, ut id, quod dicendum est, sedulo commendatum sit memoriæ. Sive in elaboranda, sive in memoriæ tradenda oratione ita se habeat orator, ac si coram haberet totum auditorum cœtum. Ut decorum in pronuntiatione servet, nullum aliud subsidium præsto est, quam ut mature cum hominibus bene moratis conversetur, anthropophobiam exuat, diligenterque attendat, quomodo homines se habeant, dum sibi invicem aliquid narrant, nuntiant, probant, aut loquuntur. Tandem, ut cognoscat vitia naturæ, et emendet, nihil est consultius, quam ut rogetur amicus, qui, quod vitio vertitur, observet, moneatque. *)

*) *Officio hujus amici in scholis publicis commode perfungetur is, qui scholæ præest.*

154.

Quæritur hic: Num concio integra accurate et ad verbum litteris tradenda sit, ac mandanda memoriæ, *)

aut potius, an illius duntaxat summa, et dispositio principalis sit consignanda scriptis, amplificatione liberæ pronuntiationi relicta? Negandum non est, multum absumi temporis, dum concio illuitur chartæ, et commendatur memoriæ; quod quidem collocari posset in accuratiore meditatione materiæ. Ad hæc ægre fit, ut videatur ex animo fluere istiusmodi concio, quæ tanto labore est composita. Periculum præterea est, dum non satis fida est memoria, orator cespitet, aut plane deseratur, ut in medio cursu, aut ubi vix cœpit, orationem cogatur abrumpere. Ex alia parte pariter certum est, melius sperare, at confidere licere de concione diligenter, et accurate elaborata; quoniam, qui studium suum huc confert, id sibi sumit, ut omnia serio meditetur, atque communiter opportunas ac serenio res horas illi negotio deputat.

*) *Ut fert ordinatio cæsareo-regia, edita die* 4. *Febr.* 1783. *tenetur curator animarum scriptis consignare omnes suas conciones, adnotata die et loco ubi habita fuerit: vel si fortasse unam, alteramve ab auctore aliquo mutatus fuerit: idipsum in charta separata adnonet, auctore nominato; eamdemque asservet, ut jussus suo tempore possit exhibere.*

155.

Ut molestias evitet concionator, quæ orationem nimio labore, et accuratione confectam, memoriæque mandatam comitantur: 1) initio non tradat litteris, nisi dispositionem principalem. In compositione ipsa non anxie elaboret, nec ordinet propositiones, aut periodos, sed ita se habeat, quasi nunc reapse coram sacro cœtu compareret; illamque tum solum negligentius adumbratam compositionem, lustret postea secundis curis, atque a vitiis, quæ irrepserunt, purget. 2) Si fieri potest, alta

voce utatur, dum res memoriæ commendat, eaque sit animi repræsentatione, quasi auditores vere coram præsentes haberet; atque ut prævertat incommodis, vel impedimentis quibuscumque, ea sibi loca studiose eligat, in quibus et variarum rerum copia est, atque strepitus, quæ mentem facilius perturbare, ac alio rapere possent. 3) Neque committat, ut serviliter se alliget vocabulis; neque addiscat propositiones ordine singulatim; sed iterata, ac frequentiore lectione complectatur totum. 4) Tandem studeat, exercitationis causa, sæpe apud se ipsum, quanquam solum de dispositionibus, libere pronuntiare.

156.

Absit autem, ut quis existimet, traditis hucusque regulis effici, ut quis in dicendo dignus nomine evadat. Necesse enim præterea est, 1) omnes intendi nervos, ut datæ regulæ rite applicentur. Docet experientia, esse qui de rebus religionem attinentibus multa legerint, quin sint concionatores egregii. Cum porro ad doctrinam exempla præ regulis breviorem ac magis expeditam pandant viam: 2) opus est probatis exemplis. Ut tandem pateat, quid, et quo modo de re aliqua dicendum sit, oportet, sufficientem sibi comparare penum et rerum et phrasium atque dictionum. Quare in numerum mediorum, quibus opus est, ut quis efficiatur probus, atque egregius concionator, merito referuntur exercitatio, imitatio, et lectio.

157.

Ad exercitationem nemo prosiliat præmature, aut imparatus, ante videlicet, quam sufficientem notitiam de rebus religionem attinentibus sibi acquisierit, et regulas eloquentiæ sacræ sibi habuerit perceptas. Qui res, aut materiam non collegerit, neque didicerit præcepta artis, adeoque necdum compertum habuerit quid aut quomodo

sit concionandum, haud dubie omnia periclitabitur tentamine casso: incipiet cum erroribus, quibus facile assuescet, quosque ægre deponet.

158.

Imitari, et exscribere diversissima sane sunt; ac ingens inter utrumque discrimen interest. Vitanda est anxia, atque servilis imitatio; quæ quidem omnem transitionem, ac figuram, phrasesque singulas, immo ipsamet etiam interdum vitia, male sedula æmulatione exprimit.

159.

Quantum ad lectionem, hallucinantur, qui sentiunt; ad solas conciones eam esse restringendam. Legendæ enim pariter sunt institutiones, quæ de dogmatis aut doctrina morum præcipiunt; item descriptiones virtutum et vitiorum, immo poetarum, philosophorum, historicorum, satyricorum etc. opera possunt esse usui. Multum hic refert, quo fine quis legat, an ut materias, rationes probantes, an ut discat castigate ad regulas grammaticas loqui, probumque stilum sibi familiarem reddere; an ut imaginandi vim inflammet, suaque cogitata vividius efferat, ac sublimius; aut demum quod est maxime necessarium, ut discat sermone populi captui accommodato loqui, *) et quæ his sunt similia. Quæ quidem finium diversorum multiplicitas ostendit, quinam libri sacro oratori terendi sint, et cui potissimum rei in eorum lectione attendere eum oporteat.

*) *Hunc in finem præcipue utiles sunt libri sequentes*: Conciones habitæ a *M. Sebaldo Nothanker* e chartis posthumis collectæ. *Leips.* 1774. (*Auctor harum concionum est* David Christophorus Seybold *Rector gymnasii* Buchswilensis.) Ludw. Christoph. Schmah-

*

-lings, Specimen concionum ad rusticos 1768. Heinrich. Gottlieb Zerenner, Conciones tum integræ, tum fragmentis editæ in usum rusticorum. *Magdeb.* 1779. Ejusd. conciones de natura et agris. *Magdeb.* 1783. Ioh. Mart. Miller, Conciones ad usum rusticorum. *Leips.* 1776-86.

160.

Ita dictæ *Concordantiæ*, *Spicilegia*, *Bibliothecæ*, ut vocant, *concionatoriæ*, *thesauri biblici*, etc. nonnisi infirma sunt subsidia. Qui jam instructi non sunt sufficiente apparatu doctrinarum religionem attinentium, aut qui obtuso sunt, hebetique ingenio, minime pares erunt inde eligendis melioribus, et ad rectos usus transferendis. Qui acutius vident, prudentes, et idonei, plus otii perdent, dum in eo sunt, ut ex promptuariis illis meliora seligant, quam opus est, ut, quod legerunt hactenus, aut meditati sunt, revocarent in memoriam, ipsique invenirent.

# SECTIO III.

## *De institutione privata.*

1.

Extra controversiam positum est, esse curatoris animarum, ut adnitatur, singularia membra sui cœtus eo adducere, ut doctrinas generales, et præscripta religionis christianæ pro suis quæque adjunctis, et indigentiis sibimet applicent, ac salutares in usus convertant. Hæc muneris pastoralis pars commode appellatur *institutio privata*, eo quod sint personæ singulares, quæ sunt constitutæ in certis circumstantiis, ad quas ea institutio refertur.

2.

Locus est institutioni privatæ; 1) cum personæ singulares petunt consilium, instructionem, solatium, et his similia; 2) cum sese offerunt occasiones singulares, quæ curatoris animarum opem, operamque efflagitant; velut cum agendum est cum infirmis, animo dejectis etc.; 3) cum non invitatus occasionem quærit, diversis hominum generibus impertiendi doctrinas salutares, eorum adjunctis accommodatas. *)

*) *Utilia tum subsidia, tum exempla præbent partim conciones, et allocutiones ad singularia hominum genera; partim de rebus religionem spectantibus epistolæ plures: v. gr.* Epistolæ argumenti ethico-christiani in-

epitomen redactæ, ex gallico versæ. Vienæ 1786. Epistolæ elementis XIV.

3.

In aprico est, generales et publicas institutiones non semper efficere, ut singula cœtus membra emendentur; partim, quod non omnes polleant facultate, nec voluntate, accurate sibi applicandi doctrinas, quæ proponuntur: partim quod non omnes, saltem non tam sæpe, quam necessarium ipsis foret, publicis instructionibus adesse possint. Cum itaque animarum curator nullum debeat medium prætermittere, docendi suos, et emendandi; ejus partes exposcunt, ut privatas tradat instructiones. Salvator, et apostoli prædicandi munus, quod obierunt, non ad solos duntaxat cœtus integros coarctarunt; sed in ædibus etiam erudierunt particulares singulatim. *) Id quod hanc instituendi rationem præ publica potissimum commendat, ejusque utilitatem demonstrat, est, quod hic prorsus singularia, et individua tractentur, singulorum vulnus latens petatur, apta media malo parentur, impedimenta singularia tollantur, et præcludantur effugia; adeo, ut spes sit, fore certiorem impensi laboris fructum.

*) *Exemplum hujus rei suppeditat colloquium* Iesu *cum* Nicomede, *cum muliere* Samaritana, *et aliis pluribus. Apostolus de se dicit*: *Docebam* publice et per domos. *Act. XX.* 20.

4.

Decidenda hic est quæstio; an religionem docens rationi et officio, quod gerit, convenienter agat, si non invitatus privatorum domos adit, ut consilia, et salutares doctrinas impertiatur? Cum sit curatoris animarum, ut sollicitudinem etiam habeat eorum, quos pudor quidam subrusticus, vel diffidentia, vel ignorantia impedit,

quo minus sibi persuadeant, opus sibi esse ejusdem ope, perspicuum est, visitationes in privatis ædibus eo animo si fiunt, ut tradantur documenta bonæ frugis, generatim minime rejicienda esse media, felicitatem suorum promovendi. Quodsi itaque adjuncta externa ea non sunt, quæ rem vel impediant penitus, vel periculosam efficiant, universe statuendum est, fructuosum esse, ac necessarium, ultro se conferre in privatorum ædes. Ne autem fiat, ut visitatio hujusmodi plus nocumenti, quam emolumenti procreet: 1) regulas prudentiæ in privata institutione necessario observandas jugiter præ oculis habeat pastor animarum: et 2) probe secernat id genus visitationum, quæ occasione instructionis necessariæ fiunt, ab illis, quarum sunt fines alii: unde tot, tamque gravia mala enasci consueverunt.

5.

At erunt; quibus paradoxæ videantur hujusmodi visitationes, nec libenter fortasse eas ferent. Hinc quidem nihil aliud consequens est, nisi oportere, ut curator animarum omnem suam vivendi, agendique rationem ita componat, ut suis jucundum sit, eum videre et audire; atque etiam hic, ut in aliis omnibus, regulam suas pati exceptiones.

6.

Quantum utilitatis per se proferunt privatæ hujusmodi instructiones; tantum prudentiæ requiritur, ut rite, ac cum fructu fiant. Ante omnia nemo sibi persuadeat, se teneri, obtrudere institutiones suas invito alicui, ac reluctanti. Hinc fieret, ut et personam suam, et doctrinam, quam traditurus est, invisam redderet, variisque suspicionibus, judiciisque temere conceptis locum daret; unde consequeretur, nullum hinc fructum sperari posse. Christus discipulis suis auctor fuit, ut abirent, dum in-

***

colas experirentur in recipiendo difficiles: *) et discipuli huic doctrinæ obsecuti sunt. **)

*) In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite; etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos. *Luc. X.* 10. 11.

**) Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt: vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ; ecce convertimur ad gentes: *Act. XIII.* 45. 46.

7.

Negandum non est, operam omnem, quæ institutioni impenditur, ludi, ac inanem esse; dum non lubenti, promptoque animo, nec attenta mente excipitur. Hinc inferre licet, haud bene semper consultum esse: si prima mox fronte aut congressione, doctrinæ necessarie proponerentur. Ut enim adhortationes, et instructiones fructu non careant, necessarium est, ut auditorum animi primum benevoli, attenti et dociles reddantur; nisi aliunde sumere liceat, eos rite, ut oportet, jam esse dispositos.

8.

Quo accuratiorem quis notitiam sibi perceptam habuerit de dotibus, adjunctis etc. eorum, quibus cum colloquium habendum est de rebus, quæ ad religionem referuntur, quoque exactius eis accommodaverit instructiones, quas habiturus est: eo certiorem inde fructum exspectare licebit. Quantum igitur fieri potest, danda est opera, ut penitus cog-

noscere discat auditores, suamque institutionem pro diversa eorum conditione eis accommodet.

9.

Viri prudentis est, conferre, dum quid molitur, vires, dotes, dexteritatem cum suis destinatis. Eo magis hoc servandum est in colloquiis de religione: dum, si res aliter cadit, post frustrata tentamina, facile fit, ut et qui docet religionem, et religio ipsa contemptionem incurrat, exciteturque perturbatio in animis præsentium, et offensio apud eum, qui ad frugem erat reducendus.

10.

Æque gravis momenti est, nunquam non habere rationem temporis, loci, et aliorum adjunctorum. Non omnia semper fructuose proponuntur; ita v. g. instructiones, adhortationes, præsentibus aliis, sæpe obdurant; tantum abest, ut emendent: colloquia privata solent excitare suspiciones; et his similia.

11.

Longanimitate, patientia et lenitate animi opus est religionis doctori, quotiescunque munus suum obit; præcipue autem ac in primis oportet eum esse instructum hisce virtutibus, dum vacat institutioni privatæ. Quisquis spem abjicit, ubi tentamen primum effectu destitui animadverterit, aut deterreri se patitur difficultatibus, objectionibus, excusationibus minoris ponderis; aut dum ad perfectum adducere omnia subito cogitat: is constituit patrare miracula, parumque proficiet.

12.

Vera christiana dilectio erga suos, verumque desiderium, virtutem, ac id quod bonum est provehendi latius, efficit, ut animarum curator, dum instruit, amanter ac benevole se habeat. Egregius pastor non semper loquitur more doctoris, nunquam vero more judicis; omnes formas induit, atque adnititur modo consolando, modo terrendo, modo miserando etc. finem suum consequi.

13.

Quemadmodum in pastoralis officii functionibus ceteris; ita etiam in instructionibus privatis semper præ oculis est habendus finis principalis, videlicet emendatio parochianorum; missis finibus reliquis qui huc non faciunt. Pastor itaque, qui non suam auctoritatem, nec redituum augmentum, aut sustentationem etc. tanquam finem agendorum principalem constituit, absque studio partium, et respectu personarum operam suam omnibus, quicumque ea indigent, ex æquo lubens addicet; nullo auctorem, pacto commitet, ut discrimen aliquod statuat divites inter et egenos; quæ quidem res cœtui offendiculo foret.

14.

Experientia docet, specie necessariorum colloquiorum de religione, aut occasione eorumdem familiaritates contrahi posse, quæ tandem religionis doctori invidiosæ, ac multis modis molestæ esse queunt; eumque irretire diversis causis, verbis famæ detrahentibus præbere ansam, jacturam temporis parere; immo probitati etiam doctoris periculosæ evadere.

Itaque per quam necessarium est, initio mox prævidere, quæ ex cœptis aut destinatis sequi possent, sinistros effectus prævenire, ac omnes prudentiæ regulas amplecti.

15.

Membra cœtuum generatim distinguuntur interno, externoque statu. Internus eorum status admodum diversus est pro diversitate notionum, quas fovent de rebus religionem attinentibus, pro varietate morum, characteris ingeniorum, quæ in illis sunt. In eo duntaxat cardo rei vertitur, ut determinetur quæ doctrinæ spectent singulos in particulari, et quomodo rite eis instillandæ sint.

16.

Quod spectat diversitatem, quantum ad notiones de religione; fieri potest, ut curator animarum suo in cœtu habeat, qui sese jactitent religionis contemptores; qui increduli, derisores religionis, *libertini* etc. nominantur. Argumenta, quibus propriæ refellendæ sunt eorum opiniones, ex dogmatica, et polemica petendæ sunt. Hoc loco id solum adnotamus, quod prudentia pastoralis de modo agendi cum id genus hominibus præscribit. 1) Serventur ante omnia regulæ generales, præcipue Sect. I. §. 111. etc. traditæ. 2) Investigetur, quæ principia ceu vera agnoscant, ut ex his, quæ quidem ipsimet admittunt, adducantur ad id, quod ceu consectarium illorum non possint non profiteri. 3) Inquiratur accurate, quodnam sit fundamentum, aut causa præcipua, cur singularia illa sensa foveant. *a*) Dantur inter eos aliqui vere docti, ac perspicaces, etiam parati veritatem amplecti, si inveniant. *b*) Alii vero destituti sunt scientia solida; componunt-

que se, ac opiniones suas duntaxat ad auctoritatem aliorum, ut tranquillare animum, suisque cupiditatibus obsequi possint; quin impediantur, aut turbentur. c) Alii tandem non negant, vera persuasione, principia veræ religionis; sed cum contemptu duntaxat de ea loquuntur, ut sapere plus ceteris videantur, atque suspiciantur ab aliis; aut ut tentent, quæ sit rerum divinarum cognitio in doctore religionis.

17.

Quod eos, quos priore loco commemoramus, attinet; necesse utique est modo quis sit instructus cognitionibus ac dotibus ad id necessariis, ut in serium cum illis colloquium veniat; remotis tamen arbitris. Id genus hominibus præcipue commendandi sunt optimi libri, in quibus veritas religionis christianæ invictis argumentis, iisque quæ firmam persuasionem ingerant, demonstratur. *)

*) *Libros, qui huc pertinent, indigitat dogmatica, et polemica; unde cognitos eos esse oportet.*

18.

Iis, qui ad alteram classem pertinent, ostendatur, 1) rationi esse adversum, oppugnare doctrinam, quam quis haud accurate cognitam habeat; esseque iniquum, nonnisi unam duntaxat partem audire. 2) Eis proponatur, propterea veritatem non esse desituram, quod ab his, quibus incommoda videtur, atque tristis, negetur. 3) Eorum auctoritati, qua innixi opiniones illas fovent, retinentque, opponatur auctoritas tot aliorum hominum proborum, et egregiorum, qui apud omnem quemque egregium, probumque plus habeat ponderis; quam generatim merentur socii istiusmodi hominum.

19.

Quantum ad eos, quos posteriore loco meminimus; rectæ rationi videretur adversari, qui serium cum illis de religione colloquium miscere vellet; præsertim in circulis. Dictum acutum, sed humaniter prolatum, plus hic efficiet, quam refutationes seriæ. Quodsi fert occasio, cum istiusmodi hominibus colloquendi remotis arbitris: eis proponatur, studium ostendendi sagacitatem, ingeniique acumen in istiusmodi occasionibus pessime collocatum esse, ac fieri, ut apud omnes probos offensionem merito incurrant; esseque doctrinas de rebus divinis momenti gravioris, quam ut ad colloquia, fallendo tempori accomodata, transferri possint.

20.

Pauci, opinor, erunt, quibus suppetat occasio convertendi gentiles. Opportunum tamen est, hic monere ut hi, qui ingenio valent, atque facultate meditandi, secernantur ab illis qui duntaxat errore, ignorantia, superstitione, cœco amore adhærendi institutis, ac opinionibus majorum, studioque sectandi id solummodo, quod sensibus subjectum est, a veritate deviant. Illi persuadeantur, haud sufficere religionem mere naturalem. Proponatur eis pretium ac dignitas religionis christianæ, ejusdemque consensus cum naturali. Hi non tam concertationibus polemicis, quam amica, diserta, ac plana institutione, atque beneficis actionibus, secundum Servatoris exemplum, ad veritatem adducendi sunt. *)

*) Vid. *Nösselts, introductio ad notitiam optimorum librorum generis pro omnibus Theologiæ partibus. Leips.* 1780.

21.

Cum Judæis de religione collocuturus, 1) probe percepta habeat eorum sensa, principia, historiam, ritus ac consuetudines; præterea phantasmata vulgi a propriis eorum doctrinis, ac recentiores ab antiquioribus rite secernat. 2) Ostendat erga eos omnem lenitatem, æstimationem, æquitatem, philantropiam, ad exemplum apostoli; (ROM. IX. 3. XI. 20.) seque abstineat ab omni irrisione, atque iniquis accusationibus. 3.) In colloquio ipso potissimum adnitatur, *a*) ut consensum veteris, novique testamenti proponat; *b*) IESUM, dum exponit ejus facilitatem, lenitatem, ac beneficientiam erga omnes; quique non suis, sed alienis commodis unice studuerit, amore dignum exhibeat; *c*) id quod divinum, ac sublime est, in ordinatione divina ad beatum efficiendum genus humanum, commendet; et *d*) præjudicium principale Iudæorum de regno terreno impugnet, ac evertat. *)

*) Nosselt. *l. c. pag.* 367.

22.

Systema religionis, quod tenent *Mahumedani*, est compositum ex *judaismo*, *gentilismo*, et *christianismo* depravato. Compertum est, esse illius sectatores homines rudes et incultos, duci sensibus, ac omnium fere disciplinarum meliorum ignorantia laborare. Quodsi ceteræ cognitiones utiles ad illos penetrarent, dubium non est, etiam religionem christianam facile ad eos propagatum iri. Ex his constat, non hic locum habere refutationes proprie dictas; sed instructiones. Argumenta aptissima, quibus ostenditur, quam sit absurdum systema religionis, pro quo depugnant, repetenda sunt ex cognitione opinionum, in quibus versantur. *)

*) *Notitiam penitiorem de religione Mahumedanorum dederunt inter alios* Hottingerus *et* Hallerus *in libris*: Historia Orientalis ex variis orientalium monumentis collecta, auctore Io. Henr. Hottingero. Editio auctior. Tiguri 1760. Doctrina Mahumetis de Deo ex Korano hausta.

23.

Quod attinet diversas christianorum sectas, nimis longum foret, de singulis singulatim disserere. Satis sit rite applicare regulas generales sectione prima traditas. Comparate ad diversas christianorum familias, quæ in imperio *Romano* jus civitatis habent, accurate servandæ sunt augustissimæ ordinationes. Secernere præterea oportet opiniones recentiorum ab antiquiorum placitis. Quantum ad colloquia habenda cum Protestantibus; non videntur superflua esse monita, quæ subjungimus: 1 ) Proponatur doctrina catholica; non adulterata; sed pura; idque tantummodo defendendum sumatur, quod semper, ubique, et ab omnibus traditum est; neque istud commisceatur cum additamentis varii generis. 2 ) Non dissimulentur multiplices abusus, qui negari haud queant; multo minus propugnari; at una insinuetur, nullam esse religionem, quæ abusibus careat. 3) Ostendatur debita existimatio de his, quæ apud Protestantes generatim, et præcipue apud eos, quibuscum conversantur, reapse existimationem merentur: velut studium impugnandi incredulos; scripturæ sacræ explicatio, commendatio amoris erga alios, etc.

24.

Quemadmodum in uno quoque genere institutionis, pro diverso hominum genere, diversa observanda sunt; ita dum sunt emendandi, reducendique errantes, ratio pariter habenda est istius diversitatis, ne prudentiæ le-

ges violentur. 1) Sæpe fit, ut doctrinam a veritate alienam, quam profitetur, vulgus æque parum intelligat, ac oppositam, quam quis ei persuadere nititur. Quod si ita foret; non tam locus hic esset refutationi, quam solidæ, benevolæ, lenique instructioni. 2) Si ad rectam semitam revocandi sunt genere, conditione, potentia illustres, commitendum non est, ut erroris causa, in quo hæsitant, debita eis reverentia denegetur aut eorum offendatur existimatio. Non minus cavendum, ne inobedientiæ spiritum, atque parum in negotio religionis tolerantem animum zeli sanctioris velo obnubere quis contendat: navanda demum est opera, ut nequid inconsideratius agatur. 3) Arduum fere, ac perdifficile est, eruditos, qui singularibus, deviis opinionibus indulgent, ad rectum tramitem reducere. Videntur potius ipsemet esse prompti sæpe, paratique, plures alios ad suas partes trahere; eoque magis haud raro allaborant doctrinas suas propagare latius, quo magis ipsis contradicitur. Quare commitendum non est, ut concertationibus magis effervescant. Communiter nobis nihil restat aliud, quam ut nostros proba institutione in veritate, ac amore pacis stabiliamus.

25.

Complura sunt, in quibus peccari facile possit, atque agi inconsideratius; dum sermo est de iis, qui parati videntur esse, transire ad communionem nostram. Nunquam non serio cogitandum est, non id potissimum agi, ut proselytos plures faciamus, qui fortasse vita turpi dedecori sint cœtui, ad quem transeunt. Itaque 1) diligenti studio dispiciendum est, num rectus sit finis, probandæ sint rationes, quibus quis adducitur ad deserendam ecclesiam, cui erat adscriptus. 2) Consideretur, utrum solidis rationibus ad veram persuasionem fuerit adductus; an solum lenibus, ac infirmis ra-

tiunculis factum fuerit, ut id consilii caperet. Quod quidem posterius ubi accidit, in locum argumentorum debilium, quæ firma sunt, subrogentur. 3) Erudiatur fideliter, et accurate; et 4) singulari cura observetur, qua sit integritate morum.

26.

Discrimen aliud comparate ad internum statum, in membris parœciæ adscriptis, constituit diversitas characteris eorum moralis, morum videlicet, et actionum; aut status conscientiæ. Nonnulli cupiditatibus suis obsequuntur; alii constituerunt, redire ad frugem meliorem; in aliis demum nihil est, quod jure reprehendas. Manifestum est, eos, qui priore loco commemorati sunt, egere emendatione; illos, qui altero, institutione, ut bene cœpta, aut destinata prosequantur. Iis demum, qui postremo loco commendantur; opus non est nisi admonitione, ac confirmatione.

27.

Degeneres affectus, seu cupiditates immoderatæ fontes sunt actionum malarum. Huc quidem potissimum curam, studiaque sua convertere debet curator animarum, qui vere emendare cupit. E præcipuis hisce fontibus est *superbia*. Ut emendentur superbi, proponantur eis primum consectaria mala, ac effectus hujus vitii; inter alia, inimicitiæ, quæ hinc nascuntur, odium, quod sibi apud alios consciscit arrogans, etc. 2) causæ, quæ nobis suppetunt, ut simus demissi animo, huc revocantur: nostra origo, ac dependentia a summo ente, et hominibus aliis, quorum ope indigemus, mortalitas nostra, exemplum Salvatoris etc. *) Præcipue hoc loco adnitendum est, ut de iis rebus, quæ arrogantiæ ansam præbent, tenuiter ac humilius sta-

tuatur: v. gr. in existimatione multi sunt, quin esse metuantur: eruditio cum erroribus multis, atque periculis conjuncta est: nobilitas bonum est alienum: honores periculis pluribus nos exponunt: virtus a Deo proficiscitur; componi cum superbia non potest; falsa est, si ad superbiam ducit: amicorum potentia et divitiæ facile possunt amitti, et his similia. Præter pias preces, ac animi demissionem coram Deo, ceu remedia eradicandæ superbiæ, præcipue est monendum, ut, qui eo vitio laborant, peragant ea, quæ illi opposita sunt: v. gr. præscribendum eis est, ut, favores exhibeant tenuioris, et infimæ sortis hominibus.

*) *Huc quoque pertinent scripturæ sacræ loca plura; v. g.* Superbum sequitur humilitas: et humilem spiritum suscipiet gloria. *Prov. XXIX.* 23. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Iac. IV.* 6. *Eodem referuntur pœnæ a Deo in superbos latæ; ut confusio turris* Babyloniæ, *pœna* Nabuchodonosoris, Antiochi, Sennacheribi, *incolarum* Tyri *etc.*

28.

Cum vero sit arduum, superbos adducere ad cognitionem sui, cumque vix sit vitium aliquod, quod non speciem virtutis ita præferat, ac delitescere sub ea larva contendat: plurimum interest, mox initio, effectibus declaratis ostendere, quo pacto distinguatur superbia a magnanimitate, a licito honoris ambitu, aut amore, a generosi animi dote etc.

29.

Eodem pariter modo est agendum cum iis, qui vanitati indulgent. Effectus mali, qui hinc nascuntur, sunt: hypocrisis, lites et discordiæ, inobedientia etc. Quo

magis homo vanus æstimari cupit; eo minus votorum suorum metam consequitur; quamprimum homines in cognitionem illius vitii venerint.

30.

Adversus *invidiam* 1) proponatur, quantum opposita sint sensa hominis invidi *a*) *providæ sapientiæ*, cujus consilia in distribuendis bonis invidus rejicit, *b*) *dilectioni proximi*, quæ gaudet cum gaudentibus, ordinato *amori sui* 2) Describantur mala, quæ mundo intulit invidia, et adhuc infert. Huc spectant narrationes biblicæ de nece *Abelis*, de fratribus *Iosephi*, de *Saule* etc. Nemo foret invidus, nisi sentiret plus æquo magnifice vel de bonis terrenis, vel de suis meritis. Eo itaque adducendus est invidus, ut eam mentem exuat, cogitetque, Deum esse dominum omnium, et, ex parte nostri, insaniam esse, et seditionem, nolle acquiescere distributioni bonorum, quam ipse fecit.

31.

Mali effectus *avaritiæ* sunt dolus, fraus, simulatio, vis, perjuria, præcipue animi inquietudo, qua divitiæ congeruntur, asservantur, amittuntur. *) Monendum hic est, apud eos, qui remedia omnia adhibent, corradendi pecunias, non semper avaritiam; sed sæpius aliam esse cupiditatem pravam, cui quis satisfacere auro nititur.

*) *Huc spectant loca Scripturæ sacræ*: Cavete ab avaritia: quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet. *Luc. XII.* 15. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt hominem in interitum, et per-

*

ditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. 1. *Tim. VI.* 9. 10. Quæ sursum sunt, quærite, non, quæ super terram . . . Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram (*quæcumque homines terræ alligant*) avaritiam, quæ est simulacrorum servitus. *Coloss. III.* 2. 5.

32.

His qui *voluptatibus dediti* sunt, ostendatur, quantum hoc vitium adversetur divinæ voluntati, atque felicitati societatis humanæ, quamque deprimat naturam humanam infra vilem brutorum animalium sortem. *) Mali ejusdem effectus sunt, *a*) dilapidatio, ac abusus bonorum temporalium; *b*) inhabiles efficit ad præstanda ea, quæ sunt sui muneris, ac ad edenda præclara facinora: *c*) sæpe hinc nascuntur zelotypia, et furor, *d*) molesti animi sensa ac angores, *e*) sæpe ignominia ac dedecus, *f*) jactura valetudinis etc. (id, quod postremo loco positum est, cadit præcipue in certas voluptatis species.) **) Opportuna subsidia, ut facile patet, præscribuntur, temperantia, occupatio, fuga periculosarum oblectationum, familiaritatum turpium, consortiorum pravorum, frequentior Dei præsentis memoria; et his similia.

*) Fornicatio autem, et omnis inmunditia. . . nec nominetur in vobis. . . Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus. . . non habet hærediratem in regno Christi, et Dei. *Eph. V.* 3-5. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi: Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit...* Fugite fornicationem: omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis; quoniam membra vestra templa sunt spiritus sancti,

qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? 1. *Cor. VI.* 15. 18. 19. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatione, et honore: non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum. 1 *Thess. IV.* 3. 4.

**) *Confer.* Langhans, De peccatis, quæ humanæ sanitatis destructione se ipsa ulciscuntur. Gortfr. Less. Instructio de moderatione et castitate. *Gottingen* 1772. Zollikofers, Admonitio de vitandis peccatis impudicitiæ. *Leips.* 1777.

33.

*Adultero* proponatur, eum talem esse, qui proximum privet bono aliquo ex his, quæ inter carissima numerat; *a*) faciat perjuram eam, quam male deperit; *b*) ejus lædat famam; turbet familias; et quæ his sunt similia. *)

*) *Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ: ut custodiant te a muliere mala, et a blanda lingua extraneæ. Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius . . Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit, furatur enim, ut esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. Turpitudinem, et ignominiam congregat sibi, opprobrium illius non delebitur, quia zelus, et furor viri non parcet in die vindictæ; nec acquiescet cujusquam præcibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Prov. 23. seqq.

34.

*Intemperantibus*, præsertim ebrietati addictis, proponendum est, *a*) eos abuti divinis donis, *b*) ipsos se dejicere ad conditionem brutorum, *c*) inhabiles se reddere obeundis officiis, *d*) ludibrio se exponere aliorum, *e*) mortem accelerare etc. *) Optima adversus hoc vitium remedia sunt, occupatio, et fuga consortiorum pravorum.

*) Noli regibus, dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas. Et ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis. *Proverbiorum cap. XXXI.* 45. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum..... qui vacantes paribus, et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio. *Prov. XXIII.* 20. 21. Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omne escam. In multis enim escis est infirmitas: et aviditas appropinquabit usque ad choleram, propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Eccli XXXVII.* 32. *seq.*

35.

*Iram* quod spectat; observandum est, eam his exceptis in quibus est vitium naturæ, aut indolis, semper manare ex affectione alia, ceu fonte. Ut ad iram proni emendentur, proponatur: *a*) non esse nisi parvi animi, huic affectui indulgere; neque quemquam vere magnum reputari, qui moderari sibi nequat: verum honorem non in vindicta: sed in magnanima remissione injuriarum situm esse. *) *b*) Iracundum nunquam non sibi ipsi nocere; quandoquidem animi sui tranquillitatem turbet, atque cum æstu corripitur, persæpe pœnitenda aggre-

diatur. In casibus singularibus ostendatur, partim rem, quæ vindictæ ansam præbet, levioris esse momenti; partim eos, a quibus se offensum putat, mereri, ut indulgentius secum agatur. Cum v. gr. sint homines non maturæ ætatis, quibus haud dubie in nonnullis aliquantulum connivendum est: aut non tam fuerit iniqua eorum mens; aut sint hi ipsi, a quibus aliquando acceperit beneficia; aut homines sint illustres, quos vindicta ad nostram ipsorum perniciem magis irritat, etc.

*) Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. *Prov. XVI.* 32. Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus. *Rom. III.* 19. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, et benefacite his, qui oderunt vos: et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos; ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos; et pluit super justos, et injustos. *Matth. V.* 44. 45.

36.

*Amor otii*, sive inertia apud multos fœcundus fons est multorum peccatorum, quæ *omissionis* dicunt, ac reperturbationum. Ad laboris persuadendum amorem repetendæ sunt rationes: *a*) a fine hominis, *b*) ab utilitate et jucunditate, quæ cum occupatione conjuncta est, *) ab aliarum rerum creatarum exemplo, ipsorummet brutorum animalium.

*) Vult, et non vult piger: anima autem operatium impinguabitur. *Prov. XIII.* 4. Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam; quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe,

quod comedat. Usquequo, piger, dormies? Quando consurges e somno tuo? Paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias. Et veniet tibi, quasi viator, egestas, et pauperies, quasi vir armatus. *Prov. VI. 6. 7. 8.*

37.

*Acediam*, seu desidiam in cultu divino impugnaturus, ostendat, fontem eam esse multorum criminum; acediæ deditum conjicere se in statum, qui jucunditate careat, quoniam id, quod in virtute voluptatem parit, nunquam: id autem, quod in ea difficile est, continuo persentiscit. Quodsi sermo est de singularibus virtutum actibus, ad quos excitadi sunt desides: ostendatur, esse eam actionem, utilem præstantem, facilem; difficultates vero ei conjunctas vel fictas esse et inanes, vel procul dissitas. Proponatur potentia divinæ virtutis, et exemplum tot aliorum, qui has, immo longe graviores difficultates superarunt.

38.

His, qui *haud contenti* sunt sorte sua, quique adversus Deum murmurant, inculcentur doctrinæ de sapientissima optimi numinis providentia, indeque ostendatur, eam agendi rationem partim esse summe iniquam, eo quod proprie nihil sit, quod a Deo mereamur, ipseque optime noverit, quid nobis conducat efficiatve: partim imprudentem; quandoquidem Deus, ingratorum murmure nihil motus, constanter faciet id quod vult.

39.

*Discordibus* proponatur *a*) suavitas pacis et concordiæ. *) Ex adverso ostendatur, *b*) discordes se invicem mordere, et consumere; **) *c*) pacem atque

unitatem præcipuas esse dotes christianæ religionis, ac oportere, ut nos invicem ceu fratres, ac servos unius domini, tanquam membra, ejusdemque felicitatis hæredes consideremus. ***)

*) Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Matth. V.* 9.

**) Omnis lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quodsi invicem mordetis, et comeditis: videte, ne ab invicem consumamini. *Gal. V.* 14. 15.

***) Obsecro itaque vos.... ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate; solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. *Eph. IV.* 1. *seqq.*

40.

*Avari* persuadentur, ut indigentibus de suis facultatibus tribuant; dum eis proponitur: *a*) id requirere finem, ac scopum, cui bona terrena, quæ possidet, destinata sunt: *b*) conjunctam esse cum beneficientia suavissimam voluptatem; *c*) Deum aliquando avaritiam puniturum, et liberalitatem copiose remuneraturum esse. *)

*) Esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc. *Matth. XXV.* 35. etc. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis: et vicissitudinem suam reddet ei. *Prov. XIX.* 27. Qui parce seminat, parce et metet; et qui

seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. 2. *Cor. IX.* 6. Divitibus hujus seculi præcipe ... bene agere: divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 1. *Tim. VI.* 17. *seqq.* Beneficientiæ autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus, *Hebr. XIII.* 16.

41.

Hoc loco multiplicis generis excusationes e medio tollendæ sunt: *a*) *Liberalitate opes nostræ imminuuntur.* Resp. Larga propterea merces rependitur nobis a Deo; neque semper fit, ut fortunæ decrescant. *b*) *Providendum est liberis nostris.* Resp. Fas non est, liberorum causa privare se thesauro in cœlis. Prudens providentia semper stat, ac bene componitur cum moderata liberalitate. Liberis, si sunt probi, haud opus est tanta affluentia: degeneres autem hinc magis depravantur. *c*) *Sunt, quibus facilius est, hoc officio defungi.* Resp. Rationem aliquando redditurus est quisque de se ipso. *d*) *Persæpe fit, ut eleemosyna male collocetur.* Resp. Si, quod nostrum est, egerimus, et inter egenos prudenter distinxerimus: abusus beneficiorum nostrorum nobis haud imputabitur. *e*) *Cum hinc migrandum est, habituri sumus rationem pauperum.* Resp. præscripta religionis christianæ destinata sunt viventibus; non his, qui volentes, nolentes compulsi sunt, relinquere omnia. Profecto nihil est singulare, abdicare id, quod tecum asportare haud possis.

42.

*Prodigi* cogitent, *a*) proprie non dominos; sed solum dispensatores se esse bonorum suorum, atque fore, ut rationem reddant prudentis dispensationis; *b*) ipsorum culpa fieri, ut, quemadmodum periculum est,

ad incitas redigantur, et ut sæpe fit, ab his etiam contemnantur, in quos beneficia sua nunc inconsideratius effunduntur; *c* ) futurum esse, ut his, queis natura, vel amicitia conjuncti sunt, contra jus, fasque multa subducantur.

43.

Iis, qui *ludendi* libidine capiuntur, proponere oportet *a* ) jacturam temporis, et fortunarum, sive proprio sudore, sive multis parentum laboribus partarum; *b* ) effectus malos hujus vitii, inimicitias, execrationes, percussionem etc. *c* ) inquieti animi motus, quos sentit, qui deditus est lusibus. Metus, spes, gaudium, dolor, ira, odium, tædium etc. continua inter se pugna variant.

44.

His, qui amorem proximi, *rapiendo aliena*, aliisque modis inique violant, commonstretur, quantopere *a* ) ordinationi divinæ in distribuendis bonis, *b* ) societati humanæ, *c* ) propriæ famæ etc. adversentur.

45.

*Obtrectatores* edoceantur, 1 ) quam agant injuste; dum proximo aliqua ratione plus rapiunt, quam fures; et 2 ) quantum nocumenti inferant societati humanæ. 3) Inquiratur, ut malum extirpetur radicitus, num obtrectandi libido nascatur e superbia, aut morosa indole, an ex invidia, aut levitate animi etc. * )

* ) Siquis autem putat, se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. *Iac. I.* 26. Lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit! et lingua ignis est, universitas iniquitatis. *Iac. III.* 5. 6. *Confer.* Lessii *moralis theol. pag.* 269.

46.

Quodsi de his sermo est, qui *temere* de aliis *judicant*; indagetur, num imprudentia, offensio prævia, arrogantia, invidia, aut mens male conscia, quæ ea re tranquillare se nititur, et his similia mali fons et origo sint. Quæ proponi hic possunt, huc fere redeunt. Ostendatur, *a*) omni æquitate eam repugnare, qui judiciis temere conceptis perperam de aliis sentit; quandoquidem ipse nollet, ut ab aliis secum ita ageretur; *b*) fieri, ut judicium divini vindicis sibi accersat, qui eadem mensura sibi remetietur. *)

*) *Nolite* judicare, ut non *judicemini. In quo enim judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?* Matth. VII. 1. seqq. *Fratres.... qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem... Unus est legislator, et judex, qui potest perdere, et liberare. Tu autem quis es, qui judicas proximum?* Iac. IV. 11. *seq. Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit, se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducat cibos omnis generis, non manducantem non spernat; Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui judicas alienum servum. Domino suo stat, aut cadit* " Rom. 14. 1. *seqq.*

47.

*Mendacibus* dicendum est, 1) sinceritatem esse characterem hominis christiani; 2) ab id genus hominibus societatis humanæ vinculum solvi; 3) eosdem sibi accersere ignominiam, atque odium. Etiam hic probe secernantur, num animi levitas et consuetudo; an malitia mali causa sit. *)

*) Abominatio est Domino labia mendacia; qui autem fideliter agunt, placent ei. *Prov. XII.* 22. Deponentes mendacium, loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra. *Eph. IV.* 25.

48.

Quantum ad *superstitiosos*, qui absque fundamento a certis rebus vel bona sperant, vel mala metuunt; curandum potissimum est; 1) ut rectæ, accuratæque notiones de vera pietate eis instillentur. Cum plerumque provocent ad certas historias, et fabulas: 2) istis opponere oportet alias, in quibus aperte patuit fraus, et deceptio. 3) Stabiliantur in fiducia, quam collocent in Deum solum. 4) Probe-discutiatur, num cum adhibent superstitiosa media, solum ignorantia et stupiditas cum sincero, bonoque animo conjuncta; an vero mala quædam affectio, v. gr. avaritia, rerum novarum cupiditas, amor insanus etc. mali radix sit. Illi leni instructione edocendi; hic una corripiendi sunt, malæ affectionis causa.

49.

His, qui sunt proclives ad *jurandum* absque necessitate, vel ad *pejerandum*, dicatur 1) se abuti palam divino nomine, *) disertoque Servatoris mandato refragari, **) 2) fore ut apud prudentes finem non mereantur; etiam si jurent. Etiam hic mali origo indaganda est; metus damni, spes lucri, ira, prava consortia etc. causæ illius solitæ sunt.

*) Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore... Vir multum jurans implebitur iniquitate: et non discedet a domo illius plaga. Et si frustraverit, delictum illius

super ipsum erit; et si dissimulaverit, delinquit dupliciter. *Ecli. XXIII. 9. 12. 23.*

**) *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum; quia thronus Dei est: neque per terram; quia scabellum est pedum ejus... Neque per caput tuum; quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester: Est est; Non non; quod autem his abundantius est, a malo est.* "Matth. V. 34. 36. *seq.*

50.

*Seductoribus*, qui ad peccatum alliciunt alios, ostendatur, dissipare eos, quantum in ipsis est, opus Dei, graviusque peccare adversus dilectionem proximi, quam fures, et latrones.

*) Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis... expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. *Matth. XVIII.* 6. Noli propter escam destruere opus Dei. *Rom. XIV.* 20. Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 1. *Cor. VIII.* 12.

51.

Dum emendanda sunt vitia: permultum refert, probe distinguere inter hos, qui iis laborant. Dantur quidam penitus scelerati, qui scientes, volentesque in peccata proruunt, et sæpe haud verentur, de illis gloriari. Alii vero simplicitate potius delinquunt, et ignorantia. Illi quidem tentandi sunt; videndumque, num primis religionis, ac moralis doctrinæ principiis, de providentia, de animæ immortalitate, de renumeratione boni, ac pœna peccatorum etc. imbuti sint, recteque sentiant.

Quod si genuinis notionibus carent, curandum est, et perspicua methodo edoceantur. Quod si vero de veritatibus illis probe perceptas notiones veras habeant: ostendatur, quam agant imprudenter, nulloque pacto excusandi sint, qui factis id, quod verum habent, impugnant, aut negant. Quanquam vero apud eos, qui prorsus occalluerunt, prope impossibile esse videatur, proficere: quoniam lenitatem sæpe derident: correptionibus autem magis irritantur: non est tamen, quod animum despondeamus. *a*) Cavendum est, ne longis sermonibus eis molesti simus: *b*) monstrandum, esse nos amicos bene affectos, qui ex eorum emendatione nihil commodi quæramus; et *c*) non proponantur initio nisi temporales pœnæ, quas sibi accersunt vita scelerata. Quantum ad alios, quos secundo loco commemoravimus; non tan utendum est objurgationibus, et correptionibus, quam lenibus instructionibus.

52

Sunt nonnulli, qui cum probe norint, se errare malarum affectionum ac naturæ æstu abripiuntur in transversum. His commendetur continua, ac vigil sui ipsorum cura; suadendumque ipsis est, ut transgressionum solitarum occasiones prævideant; ac præsertim ut nequid tum agrediantur, cum turbine cupiditatum corripi se sentiunt.

53.

Quod si consortium pravum, consilia, et persuasio aliorum etc. causæ sunt actionum malarum: proponendum est, quantum nocumenti inferant hujusmodi familiaritas. Ostendendum, eos, qui ad peccata nos pertrahunt, verorum amicorum nomen minime mereri; quippe qui certissime parati sint, nos deserere; si quidem explendarum cupiditatum studium, commodi pro-

prii amor, ac ulciscendi libido flagitaverint. Adde, verti oprobrio, id genus hominibus familiater uti.

54.

*Hypocritæ*, qui, dum sunt mente improba, probi coram allis apparere volunt, omnium difficillime emendantur. Eis proponendum est, 1) simulandi studium coram Deo esse prorsus inutile, gravisque pœnæ reos coram divino judice eos constitui, quod, cognita sceleris turpitudine peccent, 2) vivendum eis esse in perpetua animi perturbatione, ac metu, ne reveletur hypocrisis. Huc spectant omnia ea loca, in quibus Salvator væ intentat Pharisæis, præcipue *Matth. XXIII.*

55.

His, qui lapsi sunt sæpius, proponatur, 1) quanto cum periculo conjunctus sit status, in quo versantur. Ingeratur eis sollicitudo de resipiscentiis præteritis; quod resipiscentia seria si est, emendationem conjunctam fere habeat. 2) Cavendum vero est, ne excedatur modus; commonstrandumque veram resipiscentiam esse possibilem. 3) Ex eo, quod difficilior sit eorum resipiscentia, concludatur, eo diligentiori studio opus esse, ut vigili cura sibimet attendant, occasiones accuratiori solicitudine vitent, ardentiori studio ea peragant, quæ sunt sui muneris, preces magis demissas, majoreque cum fiducia ad Deum fundant etc.

56.

Ii, qui constituerunt redire ad frugem meliorem, aut *excitati*, id negotii aut nimis leve, aut nimis arduum sibi fingunt; et sæpe fit, ut aut animo concidant, aut inani fiducia de suis viribus præfidentius statuant.

His itaque monstrandum est, 1) prævenienti divinæ gratiæ gratos eos esse oportere, eidemque cooperari. *) Promittatur eis 2) susceptorum laborum successus felix, **) neque committatur, 3) ut opera eis injungantur, quæ haud satis congruant infirmis viribus, quibus adhuc sunt. Nam et sæpe accidit, ut inconsiderato fervori, qui fere refrigescit, moderari oporteat.

*) Gratia salvati estis per fidem; et hoc non ex vobis: Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur. *Eph. II.* 8. 9.

**) Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet etc. *Phil. I.* 6. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. 1. *Cor. X.* 13.

57.

Dum sermo est de (*conversis*) his, qui mente mutata ad meliorem frugem redierunt; navanda est opera, ut præmuniantur idoneis subsidiis, quibus fit, ut ne prolabantur in peccata pristina, sed magis magisque progrediantur in dies in recto virtutum tramite. 1) Patefaciendæ eis sunt diversæ semitæ, aviæ, deviæ, quibus itur in antiquam silvam. Errores, qui pedetentim mentem occupant, confidentia in viribus propriis, omissiones officiorum plurium, quæ parvi penduntur, tritæ sunt, ac frequentissimæ relabendi viæ. 2) Instituantur, qua methodo sæpius, maxime tempore tentationis, revocandæ sint in memoriam rationes, queis adducti fuerunt ad resipiscentiam; occasiones vitandæ, atque subsidia virtutum adhibenda sint. 3) Ostendatur officium, sese stabiliendi in pietatis studio, atque magis, magisque in ea proficiendi.

58.

Christiani *perfecti* distinguuntur a ceteris, ut adolescentes, ac patres a puerulis, cognitione rerum clariore, firmioribus consiliis, maturiore deliberatione, patientia, constantia. Excitandi sunt 1) ad grati animi officium erga Deum: cujus gratia sunt id, quod sunt. 2) In animi demissione stabiliendi sunt, servandique. 3) Sunt admonendi, ne se abripi patiantur immoderato, ac imprudenti zelo, atque studiis donorum prorsus singularium, aut libidine contemnendi infirmiores. *)

*) Qui existimat, se stare, videat, ne cadat. 1. *Cor. X.* 12. Infirmum in fide assumite. *Rom. XIV.* 1. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. *Rom. XV.* 1. Siquis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit (*i. e. cum sit imperfæctus, nec immunis infirmitatibus animi*) ipse se seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero (*vituperio alieno*) Unusquisque enim onus suum portabit. *Confer.* Plitts *Pastoral theologie*, *pag.* 224.

59.

Eadem fere ratione, qua agitur cum neophytis, agendum est cum *imperfectis.* Isntituendi sunt, 1) qua ratione se in pietate stabilire, ac in perfectione magis magisque semper progredi debeant. 2) Monendi sunt adversus vitia, ad quæ incitari facile queunt. Huc pertinent dejectio animi, frustratio laboris, immaturus zelus, cupido faciendi proselytos etc.

60.

Ut regulæ generales muneris consulendi personis

singularibus, et in adjunctis peculiaribus rite applicentur, ante omnia indagare oportet, quæ sit tristitiæ causa. Habent singularia doloris genera rationes consolandi singulares.

61.

Apud nonnullos tristitiæ causa repetenda est ex mala corporis valetudine. 1) Opus est, ut hic se patientia obarmet, qui consolatoris munus obit, quandoquidem fieri assolet, ut argumenta validissima sæpe parum efficiant; eædemque semper querelæ repetantur. 2) Ponatur id genus hominibus ante oculos causa tristitiæ, qua afficiuntur: qua quidem in re cautione opus est, ac prudentia; quoniam fit, ut se offensos putent, cum advertunt, æstimari se mentis parum sanæ. 3) Suadeatur occupatio utilis, nec intensa nimium, sed congrua, moderatio in esca, atque potu etc. deambulatio, conversatio cum jucundis, sed egregiis hominibus, observatio præscriptorum, quæ medicus prudens dederit etc.

62.

Sunt alii, quibus dolendi causam præbent jactura bonorum temporalium, atque casus adversi. 1) Hi jubeantur considerare divinam providentiam; quæ omnia convertit in bonum. Qua in re cavendum est, nequid temere dicatur, neque de divinis consiliis quidquam proferatur, quod fundamento prorsus careat. 2) Ostendatur, quibus periculis felicitas temporalis sæpe sit conjuncta. 3) Moneantur officii, quo tenentur, loco ut seipsos immoderato dolore bis miseros efficerent, se conformare ordinationi divinorum consiliorum, animumque exercere in patientia, fiducia, desiderio supernaturalium bonorum. *)

*) *Vid. Ioann Samuel Fest. Specimen de utilitate malorum physicorum et erumnarum vitæ humanæ. Leips.* 1784.

63.

Quod si tristitia ortum ducit ex ignominia contemptu, aut persecutione, danda est opera, ut ingeratur accurata notitia de vero honore; monstrandumque, situm eum esse in bona existimatione hominum proborum; 2) moneantur præterea remunerationum, quas Deus promisit his, qui contemptum, ac persecutiones ferunt. *)

*) Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. *Matth. V.* 10.

64.

His, qui fecerunt jacturam honoris, et dignitatum, ostendatur 1) terrenam omnem magnificentiam serius citius transire; veramque hominis magnitudinem, ac præsentiam in intimis animi penetralibus quærendam esse; 2) honores, et dignitates multis molestiis, curis, vi etc. esse conjuncta.

65.

In morte charorum, postquam doloris vis prima remisit, animusque saniorum consiliorum capax est: 1) proponantur benefica Dei consilia, dum eos separat, qui nobis ad vitam beate transigendam necesarii esse reputantur: et 2) moneantur, ut cogitent de vita meliore, ad quam hi transierunt, qui hinc migrarunt. *)

*) Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent. 1. *Thess. IV.*

## 66.

Parentibus, quibus morte erepti sunt liberi, ostendendum est, 1) eorum liberos a Deo amari, et bene eum facere; dum vita mortali eos eripit, priusquam malitia depravaret animas eorum; 2) mors, aut adjuncta si spectentur, etiam verisimiliter eos, quos nunc lugent, multorum dolorum, ac mœroris multiplicis materiem fuisse aliquando præbituros; lacrymas, quas nunc fundunt ad tumulum suorum liberorum, eas esse ut parcere aliquando fortasse possint longe uberioribus.

## 67.

Liberis, quibus mors eripuit parentes, proponantur: 1) habere eos patrem in cœlis, qui æque bene, ac multo certius, quam eorum parentes, pro iis curam gerit; 2) Deum in scripturis præcipue patrem orphanorum se declarare; 3) fortasse futuræ eorum conditioni melius consultum esse, quod nunc compellantur, sedulitate sua quærere, unde viverent.

## 68.

Apud eos, qui suis vitiis sibi consciverunt dolendi materiem, agendum utique est, ut, mutata mente, ad frugem redeant meliorem. Perperam tamen ageret, qui a correptionibus ducere initium vellet; quod, dum vehemente doloris impetu corripiuntur, ii haud sint, in quorum animos penetrare ea monita possint; quodque hinc metuendum esset, ne animus inquietus magis turbaretur. Tum solummodo, cum menti quies, ac serenitas aliquo modo, opera nostra, redierit, eis proponatur, esse istiusmodi mala, paterna Dei monita, ut graviora evitent; argumentaque esse manifesta, unde pateat, probitate felices, vitio miseros nos effici.

69.

Eos quod attinet, qui conscientiæ angustiis macerantur; statuendum est, communiter ignorantiam, sæpe etiam corporis ægritudinem, vivam nimium imaginandi vim etc. mali causam esse. Quantum ad illos qui angustias animi sentiunt, quod dubitent de remissione peccatorum admissorum; indagetur ante omnia; num non sint fundamento aliquo innixæ dubitationes illæ, minimeque inanes; et an tristitia, quæ hic nascitur, non sit veræ pœnitentiæ dolor, sive tristitia, quæ secundum Deum est. Ita si se habere intelligitur: ansa hinc arripitur, eos instituendi, ut ad mentis mutationem perveniant; data asseveratione, Deum ipsis propitium fore et postquam opus emendationis in ipsis cœperit, tristitiam eorum conversurum esse in gaudium. Absit, ut omnia inanibus scrupulis accenseantur. Sæpe datur peccati genus aliquod familiare, quo quis magis afficitur; ad quod quidem eradicandum, quamquam omne pietatis studium præferri videatur, ægre difficulterque acceditur; quod quidem prætermittere fas non est, si animo est quies restituenda.

70.

Generatim de methodo, qua est agendum cum his, qui scrupulis agitantur, notanda sunt, quæ subjungimus: 1.) Querelis eorum, postquam constiterit fundamento eas carere, non nimis pronæ aures præbeantur: alioquin fieret, ut res, quæ sollicitudinem pariunt, continuo ipsis revocarentur in memoriam; verum nec prorsus repellantur; alioquin fiduciam omnem abjicerent, collocandam in pastore animarum. 2) Initio curet sibi liquido exponi omnia, eademque excipiat patientia summa: libenter tum tribuat id temporis illi negotio accuratius

discutiendo, ut in posterum parcat tempori. 3) Non commitat, ut in his, quæ statuit præscripsitve, varium se, aut inconstantem ostendat: atque ut novis dubiis viam præcludat, rationes consiliorum suorum adducat maxime perspicuas. 4) Proponat id genus hominibus esse necessarium, ut comparate ad statum in quo hæsitant, sint dociles, aliorumque ductui se permittant. 5) Suadeat eis occupationes moderatas, ordinem prudenter digestum, quo stata per diem negotia obeunda sunt, conversationem cum hominibus prudentibus, lenes animi relaxationes etc.

*) *Multa utilia hanc in rem invenire est in opere:* Traitè des scrupules, par Duguet.

71.

His, qui absque causa sunt anxii de peccatis admisis, at emendatis, 1) proponantur notiones accuratæ de his, quæ ad pœnitentiæ substantiam pertinent; monstreturque, vitæ emendationem certissimum esse indicium seriæ pœnitentiæ. 1) Eis insinuetur probi christiani esse, ut quotidie progrediatur longius in virtutum semita; a qua quidem re impedit continua præteritorum memoria; 2) esse res varias, quæ si in memoriam reducuntur, ob impressionem quam phantasiæ infigunt, fere periculo haud careant.

72.

Sunt multi, quibus est mens anxia de peccatis infirmitatis, ut dici solet, in quæ tam sæpe relabuntur. His dicatur, multum discriminis interesse, inter hæc, atque alia peccata, quæ destinata voluntate patrantur, momentique sunt gravioris; 1) his in terris eluctari neminem posse ad virtutem, quæ omni prorsus nævo

careat; esseque arrogantiæ quoddam genus, aliquid istiusmodi expectare; 2) considerationem de lapsibus repetitis in idem peccati genus eo potius valere oportere, ut excitentur ad preces, atque fervorem; tantum abest, ut in animi dejectionem hinc adducendi sint.

73.

Multi conjiciuntur in anxietatem, dum cogitant de rationibus, quibus adducuntur ad agendum, veriti, ne opera externa, quæ perficiunt, ex occulta quadam mala scaturigine, superbia, amore sui pravo, et ex his similibusve proficiscantur. 1) Committendum equidem non est, ut infirmetur eorum persuasio, qui censent, generatim ad verum christianismum haud sufficere actiones duntaxat externas; sed præcipue habendam esse rationem finis, atque conditionis animi; 2) interea tamen affirmandum est, quamdiu his in terris degimus, semper incertitudinem aliquam habituram esse locum; 3) ingrati adversus Deum animi vitium nos incurrere, ac admittere quoddam genus injustitiæ adversus nosmetipsos; dum nos ipsos absque causa condemnamus; 4) eamdem hanc anxietatem testari, id genus homines generatim abhorrere animo a malis fontibus actionum.

74.

Sunt nonnulli, qui se torquent cura officiorum futurorum; dum sibi repræsentant casus, et adjuncta rerum, in quibus, non satis animi, ac roboris sibi fore suspicantur, ut actiones suas ad præscriptum conscientiæ constanter componant. His 1) ingeratur solatium, petitum ex doctrina de divina gratia. 2) Dicatur eis, voluntatem bonam, quam nunc exhibent, et diffidentiam moderatam in viribus propriis effecturam esse, ut in ejusmodi circumstantiis magis inconcussi futuri sint,

quam illi, qui in se nimium confidunt; 3) denique fieri, ut viva repræsentatione discriminum, et difficultatum, quæ cum id genus officiis sunt conjunctæ, vires animumque debilitent.

75.

Non desunt ex anxiis, qui timent, ne vitia levia, in quibus hærent, pedetentim ad graviora, ac tandem ad *impœnitentiam* adducant. Hi excitantur dum docentur, 1) eam sententiam: *leviora peccata ducunt ad graviora*; solum intelligenda esse de levibus contemptis, prorsus deliberato animo perpetratis; quoniam alioquin nemo foret, qui in justitia perseveraturus esset usque in finem. 2) Quodsi etiam peccata deliberate admissa intelligerentur, nefas esse, miserationibus divinis limites ponere.

76.

Ariditas in sacris precibus, atque frigus in exercitiis religionis, est apud multos causa tristitiæ, et persæpe etiam causa intermittendi opera pietatis. His tradantur hæ doctrinæ: 1) Eorum virtus propterea non minus Deo acepta est, præmiumque meretur: atque fit, ut Dominus subtrahendo consolationes eorum patientiam experiatur. 2) Consueta pietatis officia ne omittantur. Quodsi vero in modo agendi istiusmodi hominum deprehenderetur causa voluntaria illarum distractionum, et ariditatis; per se patet, præscribendum ipsis esse, ut eamdem e medio tollant.

77.

Iis, qui gravibus tentationibus inquietantur; proponatur, 1) numquam fore, ut Deus patiatur eos tentari supra id, quod possunt: 2) tentationes, ceu subsidia quædam, valere ad confirmationem pietatis, futuræque

remunerationis augmentum: 3) perpetuo metu inflammari imaginandi vim: ideoque ipsos subministrare ansam tentationibus: 4) cum tentatio ingruit, quin diu colluctentur, mox ad officia redeundum, mentemque alio revocandam, aut ad preces confugiendum esse.

78.

Quantum ad illos, qui vitæ pertæsi accelerare sibi mortem nituntur; facile arbitrandum est, esse perturbatam eorum phantasiam, qua demumcunque affectione, supremum ad gradum adducta. Generatim leniter ii sunt tractandi; potiusque miserationis affectus præferendus est; tantum abest, ut initium a correctionibus duci possit. 1) Danda est opera, ut secundum observationes generales imaginandi vis, qua sibi sua mala repræsentant, hebetetur. 2) Edoceantur, nos non esse dominos vitæ nostræ. 3) Moneantur, ut fugiant solitudinem, resque illas, quibus imaginandi vis denuo inflammari potest. 4) Dum istiusmodi homines casus adversos, quibus jactati sunt, enarrant; neque statim interrumpendi sunt eorum sermones: neque est committendum, ut copiose nimis eis respondeatur, ut ne vis tristium idearum intendatur.

79.

Ut generatim, qui sunt conscientiæ anxiæ, adducantur ad docilitatem, aptorumque subsidiorum applicationem, ostendatur, id genus anxietates effectus pessimos producere. 1) Tempus non solum inutiliter perdit anxius; sed etiam efficit, ut perdant alii; communiterque negliguntur res majoris momenti, dum scrupulis locus datur. 2) Indulgentius agendo, quisque sibi reddit tristem eam pietatem, quamcunque habet; viamque parat ad teporem; præterea transitus immodera-

tæ anxietatis ad omnimodam indifferentiam, atque dissolutionem facilior est opinione. 3) Anxius minuit in suo animo amorem erga Deum, quem ceu tyrannum considerat, fiduciamque erga eum abjicit. 4) Sæpe occulta origo anxietatum conscientiæ jam mala est. Haud raro petitur ex prava animi obstinatione, superbia, vitio philautiæ etc.

80.

In censum anxiorum quoque referuntur ii, qui asserunt, se a dæmone obsessos esse. Hoc itaque loco commodum est, satisfacere huic questioni: *Quomodo curator animarum agat cum his, qui se obsessos dicunt*? *) Quid demum hic cunque sit de opinionibus theologorum, dum quærunt, num revera a dæmone obsideri corpora possint, aut an vere obsessi temporibus Christi et apostolorum extiterint; generatim tamen diebus nostris sumere licet, id genus homines, vel decipere velle, vel ægrotantis esse, turbatæque phantasiæ. Itaque usui hic sunt sequentes regulæ, quas prudentia pastoralis suppeditat. 1) Nunquam licet, proprio marte, quin compellati fuerint superiores legitimi, ac absque eorum jussione, exorcismis uti. 2) Prima congressione, dicat animarum pastor, judicium non esse præcipitandum: sperandum, non corporalem obsessionem, sed causam aliam subesse: ceterum nullam potentiam quidquam posse adversus Deum: Deum solum esse timendum. 3) Curet, ut, quantum potest, impediat concursionem populi; atque nulla interjecta mora rem nuntiet magistratui. Colloquia cum istiusmodi homine non misceat, nisi præsente medico, alioque, qui magistratui accensetur. Alterum necessarium putet, ut facilius innotescat, quid rei sit; alterum, ut quæ egit, tueri possit, aut excusare. 4) Permittat, miserum solum loqui: vigili oculo, attentaque mente accurate observet omnia; ut in cognitionem veniat ejus consiliorum; paucisque

duntaxat verbis respondeat. Interea quæstiones inopinatas ei proponat, attendatque, an non se ipse suis sermonibus irretiat. Quodsi is, qui obsessus videre cupit, fuerit fraudis convictus, proponendum illi est, quam sit turpe, istiusmodi simulatione uti. Ostendatur ei, quas ipse sibi molestias accersat; eodemque modo, quo cum sceleratis agendum est, cum eo agatur. Si venit in classem delirantium: eo maxime incumbendum est, ut ei addatur animus, atque phantasia ad res alias flectatur; donec tandem, meliora edoctus, ipsemet intelligat, fuisse se quantum ad obsessionem diabolicam, in errore versatum.

*) *Vide* Seidels, Pastoralem Theologiam.

81.

Huc pariter pertinent ii, quibus præstigiæ, manes spectra in metu sunt, proptereaque persæpe turbantur. Haud semper consultum fuerit, nectere cum illis funem longæ disceptationis de veritate singularium factorum, quæ forte adducunt. 1) Eis ostendatur duntaxat generatim, esse haud immerito, quod multitudo confictarum id genus historiarum hac in re nos efficiat subdubitantes, difficileque credulos. Opportunum hic fuerit proferre, quas in promptu habeas historias quasdam, quæ prima quidem fronte omnem veri speciem præferunt, quarum tamen confictió postea innotuit. 2) Stabiliantur in doctrina de Dei ubique præsentis immensitate, ac potentia, absque cujus nutu ne capillus quidem capitis nostri læditur; monstreturque, quam sit homine christiano indecorum, eo timore percelli.

82.

Discrimen aliud, quo differunt membra ecclesiæ, re-

petendum est a statu externo. Dantur homines, qui externe felices apparent esse, quibus non desunt bona temporalia. Huc spectant ii, qui prospera utuntur valetudine, qui divitiis affluunt, aut honoribus eminent. Sed et infelices reperire est; velut eos qui sunt corpore ægri, pauperes, captivi etc. Curator animarum, habita ratione hujus diversitatis, generatim singulos edoceat 1) de officiis, quæ eis obeunda sunt pro ratione externi status, in quo versantur; 2) salutaribus monitis eos præmuniat adversus vitia, quibus ansam præbere status quisque potest, 3) instituat, qua ratione externo in statu habere se debeant, ut ea re æternam felicitatem promoveant.

83.

Qui prospera utuntur valetudine, moneantur 1) grati animi pro magnifico hoc dono, quod tam multis est denegatum, *) eisdemque insinuetur, præcipue animum gratum ostendant, utendo vegetis artubus ad Dei gloriam, atque utilitatem aliorum promovendam. 2) Eis proponatur officium, quo tenentur, valetudinem prudenter curare omniaque fugere, quæcumque ad eam debilitandam facere quidquam possent; velut vita profligata ad vitia, labor nimium intensus, animi inquietudo, inertia, audacter facta etc. 2) Moneantur, ut ne, dum corpore vegeto sunt atque valenti, prorsus obliviscantur finis hujus vitæ, atque æternitatis.

*) Melior est pauper sanus, et fortis viribus, quam dives imbecillis, et flagellatus malitia... Melius est corpus validum, quam census immensus. Non est census super censum salutis corporis... Melior est mors, quam vita amara... et languor perseverans. *Eccli. XXX. 14-17.*

84.

Qui opibus valent, sæpe eo vehementius incitantur ad superbiam, et contemptionem aliorum, ad avaritiam, atque generatim ad explendas cupiditates, quibus addicti sunt; quo paratiora habent subsidia perficiendi id, quo affectionibus suis feruntur. Itaque eis proponendum est, 1 ) quæ pericula salutis animarum conjuncta sint cum divitiis: 2 ) divitias solas Deo non efficere eos acceptiores; sed bonum earum usum; velut cum prudenter dispensantur, cum pauperum sublevatur inopia, cum instituta utilia suffulciuntur, promoventur etc. 3 ) non fore, ut, cum aliquando hinc migraturi sunt, eos terrenæ opes comitentur. * )

* ) Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, et tinea demolitur: et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; et ubi fures non effodiunt, nec furantur. *Matth. VI.* 19. 20. Divitibus hujus mundi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum; sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum (*queis indigemus ad vitam bene beateque transigendam.*) Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum (*certiores, melioresque thesauros.*) 1. Tim. VI. 17. *seqq.*

85.

Doctrinæ fere eædem impertiendæ sunt his, qui dignitate, et generis nobilitate eminent. Inter cetera ostendatur eis 1 ) non esse quod, cum ipsi sint ceteris eminentiores, despiciant alios, qui sunt conditionis inferioris: quandoquidem hoc agendi modo magni-

tudini suæ maculam ponerent. Nobilitas generis, dignitatis sublimioris prærogativa, aut penitus aut partem aliquam dependent ex adjunctis, quæ non erant posita in eorum arbitrio; 2) non esse, cur sibi persuadeant, esse se legibus quibuscunque superiores, singularemque salutis ordinem sibi esse revelatum. Dum ista proponit curator animarum, caveat, ne inutiliter offendat eorum arrogantiam, aut deprimat dignitatem, qua præfulgent, vel prosapiam; ostendat potius, se nosse justum statuere pretium de eorum prærrogativis. Sed inde deducat officia, quorum violatione dignitati suæ officerent.

86.

Unum e præcipuis, at difficillimis quoque officiis curatoris animarum est visitatio ægrotorum. Cum necesse sit, ut pastor nullam non amplectatur occasionem suos adjuvandi ope sua, cumque hi, qui morbo laborant, in eo discrimine versentur, in quo egent solatio, instructione, monitis, emendatione: perspicue hinc intelligitur officium visitandi infirmos quam sit necessarium.

87.

Cum parochiani necessitatem hujusmodi operæ ipsimet sæpe haud satis cognoscant, variisque præconceptis opinionibus adversus eum, qui religionem docet, occupati sint, oportet, ut opportunitate data sæpius proponat utilitatem, quam ægroti inde percipiunt, evellatque præjudicium, quod nullo prorsus fundamento innixum est; quasi cum adventu curatoris animarum conjunctum una sit propinquum mortis periculum. Promptum paratumque præterea se ostendat comparere, idque quod sui muneris est præstare, mox ubi relatum fuerit se desiderari. Negotia alia, discrimina vitæ, incommoda, apud curatorem animarum æque leves atque etiam injustæ sunt excusationes, ac apud medicum.

88.

Scopus, quem sibi præfiget in ægrotorum visitatione animarum pastor, est, ut in ceteris officiis pastoralibus, tranquillitas, et emendatio ægrotorum. 1) Pro eo itaque tempore, quo infirmus cum morbo collictatur, tranquillandus est ejus animus, excitandusque ad patientiam, atque conformationem ad divinam voluntatem etc. 2) Ex statu, in quo hæret æger, arripienda est opportunitas, producendi in ægrotantis animo emendationem, mentis mutationem, ac bona proposita, valitura pro tempore sanitatis restitutæ; vel 3) si morbus est lethalis eo inducendus est æger, ut bono quietoque animo vitæ terminum excipiat.

89.

Cum proprium ac principale curatoris animarum negotium non sit, curam gerere, ut morbus ipse tollatur: nonnisi adhibita omni cautione dicat id, quod de medicamentis sentit; neque quin necessitas urgeat, se immisceat laboribus alienis. Dum consilia, aut præscripta, quæ dederit, optato successu carent: iram medicorum ,dicteria hominum malevolorum etc. sibi accerset. Cum interea curatorem animarum oporteat esse communem philanthropum; illius erit, dare operam, ut nihil negligatur, quod ad recuperandam valetudinem pertinent: neque in deteriorem partem ei verti potest, si, absente perito medico, etiam salutis corporalis habeat rationem. Servator prius medici, quam doctoris partes apud multos explevit.

90.

Generatim oportet curatorem animarum proprias

suas commoditates postponere commodis suorum; unde consequens est, tempus, quo invisendus est infirmus, illud eligi oportere, quod ægrotanti fuerit opportunissimum. Imprudenter agit, qui fortasse dormientis quietem interrumpit; aut ei, dum vehementissimo doloris impetu jactatur, alloquio molestias creat; et quæ his sunt similia.

91.

Debilitas corporalis efficit, ut in infirmis spiritus brevi delassetur: eorumque vires longam intensionem haut ferant. Fieri itaque non potest ut una ipsis ingerantur omnia, quæcumque eis necessaria sunt ad tranquillitatem animi, vel emendationem. Hinc intelligitur, visitatione una non omnia posse perfici. Curator animarum opem ferre suis toties tenetur, quoties ea indigent.

92.

Quemadmodum fructus instructionum omnium præcipue hinc dependet, quod præcise accommodentur conditioni eorum, quibuscum nobis res est: ita in visitatione ægrotorum, nullus aut exiguus fructus exspectandus est ei, qui non habeat accuratam notitiam de animi sensis, charactere, et adjunctis infirmi. Cognitio istiusmodi (nisi quis ea jam satis imbutus sit) haurienda est ab ipsomet infirmo, aut sæpe, debita tamen cautione adhibita, ab ejus propinquis, amicis, parentibus etc. qui plerumque sunt præsentes.

93.

Inter alia potissimum serio indaganda sunt sequentia: 1) num morbus levis sit; an periculosus, aut vere mortifer; 2) de statu suo quid sentiat æger; num a morte vehementer abhorreat; 3) an non conscientia sibi exprobret quidquam, quod modum attineat comparandi victum, aut amplificandi fortunas; et his similia.

## 94.

Apud ægrotum ipsum, præsentesque excitaret pastor noxiam de se opinionem, qui suo agendi modo, moribus, sermonibus meticulosi pavidique animi speciem præ se ferret, aut eum se ostenderet, cui facile quid fastidium affert. Excitet se pastor exemplo eorum, qui amore aliorum aut patriæ vitam suam discrimini exponunt; velut medici, milites, infirmorum ministri, aut ii, qui tempore incendiorum opem miseris manusque auxiliatrices porrigunt. Dubitandum non est, teneri curatorem animarum suo suorumque bono se conservare; quare nunquam etiam non adhibenda sunt consueta antidota. *)

*) *Ex. gr. Ægri habitaculum aceto fumigerari curet: penes caput ægri ne sedeat, ne halitum inficientem proxime attrahat: visitatione peracta, deambulatione in liberò, aere exhalationes promoveat: domi vestes mutet; et quæ sunt his similia. Confer.* Roques, imago doctoris evangelici.

## 95.

Cum persæpe accidat, ut infirmi, statim ac conspexerint curatorem animarum, turbentur: omne id vitandum est, quod possit esse terrori, quodve morosum est, ac teticrum in vultu, aut gestibus. Non appareat, ut nuntius mortis; sed ut amicus, qui paratus est, in periculoso eo statu consilio, et solatio adesse. Communiter initium ducatur a morbi adjunctis, declaratoque commiserationis affectu. Postea demum sermo habendus est de Dei consiliis, ac finibus, dum morbos immittit, deque utilitate dolorum, atque ærumnarum. Si advertitur, infirmum tum temporis non esse ita com-

paratum, ut de rebus conscientiam attinentibus libenter loquatur, ea vice urgenda res non est; modo morbus in eo non sit, ut periculum minetur. *)

*) Oemlers, Concionator ad lectum infirmorum.

96.

Impatientia, ac amorosa agendi ratio cum nosocomis, neglectus medicamentorum necessariorum, fiducia posita in consiliis medicorum circumforaneorum, et imperitorum, obstinatio animi, vanitas in ordinandis his, quæ spectant exequias et pias, ut loquimur, fundationes etc. solita sunt vitia, adversus quæ monendi infirmos occasionem habet curator animarum.

97.

Qua ratione infirmi singuli compellandi sint, ex adjunctis singularibus dependet. Certum est, (§. 88.) non omnem hanc pastoralis muneris partem absolvi præeundo præcibus, aut consolando. Hinc colligitur, quid sit statuendum de utilitate et usu librorum, qui, certas precum formulas continent, prælegendas infirmis. Argumentum eorum vel nimis generale est, vel singularibus adjunctis plus æquo adstrictum. Neutrum suis difficultatibus caret.

98.

Sæpe infirmi petunt, ut sibi præcibus præcatur. Generale earum præcum argumentum in eo consistit, ut ex una parte rogetur Deus, eum ut largiatur animi habitum, qui in illo rerum discrimine est necessarius, faciatque, ut medicamina sperato effectu non destituantur. Ex altera parte preces illæ præferant patientiam,

pœnitentiam, conformationem ad divinam voluntatem, fidem, spem, et generatim ea sensa, quæ infirmum decent. Precum argumentum singulare ex singularibus adjunctis repetatur. Id quod servandum est in allocutione infirmorum, suo etiam modo statuitur de precibus, quæ eis suggeruntur. Sint 1) breves; 2) ita expressæ, ut capi facile possint; 3) circumstantiis, in quibus versatur infirmus, congruant; 4) sint ita comparatæ, ut æger ipse ad Deum loquens repræsentetur; 5) neque nimis submissa, neque nimis alta, aut intensa voce recitentur.

99.

Si, qui decumbunt, sunt *ætate provecti*: verbis modestis eis proponatur, 1) ratio ætatis si habeatur, esse, quod de morte merito cogitent; 2) neque causam ipsis esse, cur immoderate propterea turbentur: siquidem a tot ærumnis, quas tempore vitæ experti sunt, atque a languoribus senectutis eos liberat. 3) Moneantur grati animi erga Deum, qui per tam longævam vitam e tot malis eripuit, a tot periculis tuitus est, totque beneficiis cumulavit. Perquam opportunum fuerit, quædam peculiaria ex eorum vita si adduci hic queant.

100.

*Patres familias* monendi sunt, ut in se ipsos descendant, videantque de officiis, quæ christiana religio iis præscribit comparate ad familiam, cui præsunt. Nisi periculum sit de animi fracti imbellicitate immoderata, suadendum eis est, ut salutaria monita dent filiis ac domesticis, eos sincera oratione, et ex animo Deo commendent, et jam curam eorum illi relinquant, qui se tum sæpe, tamque solemniter ceu patrem viduarum et pupillorum declaravit. Egeni si sunt, promittendum

est eis, fore, ut omnis cura geratur pro salute suorum, ut habeant, unde vivant.

101.

*Iuvenibus* in animum revocanda sunt vitia, juventuti familiaria. Ostendatur eis, qua ratione fiat, ut morbus, quo laborant, quidquam conferat ad moderandas in posterum cupiditates, et ad sui cognitionem, ad deliberationem accuratiorem etc. excitet. Si res postulat, eis quoque proponatur, juvenes æque, ac senes morti succumbere. Monendi sunt, ut necesaria præparatione se in tuto collocent, et mortem ea ratione ceu gratiam reputent, quod eos præripiat tot ærumnis, quæ cum hac vita conjuncta sunt.

102.

*Divitibus* erigendi animi causa dicat, 1) commoditates multas eis esse, dum decumbunt, queis carent egeni; 2) moneat eos periculorum, quæ cum divitiis conjuncta sunt; tum quibus artibus sibi opes paraverint; denique vitiorum divitibus familiarum etc. etc. 3) Contendat, a bonis terrenis adducere eos ad considerationem, atque æstimationem æternorum.

103.

*Pauperes*, uti constat, præcipue solatio indigent. Inter alia eis dicat, facilius ei fore, quam divitibus avocare animum ab hoc mundo, ac esse, quod terminum vitæ tranquilliore mente ac illi, excipere possint Committendum tamen non est, ut desiderium moriendi, quod sæpe in eorum animis nascitur ex impatientia, rerumque tædio, vel probet, vel excitet. Locus hic est, sibi conciliandi plurimum fiduciæ apud ægro-

tum ipsum, magnamque æstimationem acquirendi apud omnem cætum, ac mercedem apud Deum, si miseris hisce manum auxiliatricem præbeat, aut pro eis apud hos intercedat, quibus amplior est res familiaris.

104.

Quid dicendum sit his, qui magni momenti *officiis* in republica perfunguntur, perspicuum est ex observationibus jam traditis. Excutienda est eorum conscientia, quantum ad artes, quibus forte ad id muneris viam sibi paraverunt. Inquiratur de vitiis, quæ muneri illi familiaria sunt, ac sæpe adnexa. Indagetur, quomodo provinciæ sibi demandatæ satisfecerint, qui fuerint boni fines, quos sibi in illius administratione præfixerint; et his similia.

105.

Triste est, decumbentes invenire, qui sint *ignarissimi.* Cum tale hic sit discrimen, quod nullam moram patitur, manifestum est, 1) monita summe necessaria seligenda esse, exprimendaque verbis maxime perspicuis: 2) esse eligenda argumenta brevissima, ac ejus generis, quæ capi facillime possint; et 3) ea documenta potissimum inculcanda, quæ cum præsenti eorum statu arctius connexa sunt. Quod posterius si rite peragitur: facile intelligent, neglectu institutionis factum fuisse, ut multo se solatio defraudarent; unde nascetur dolor de admissa negligentia, et desiderium, quantum fieri potest, reparandi id, quod est neglectum. Ut præmuniantur adversus omnem animi dejectionem, instillet eis pastor fiduciam collocandam in optimi numinis indulgentia; offeratque ad id, quantum in se est, omnem opem. Qui hunc in modum agit, plus efficiet, quam si a severis exprobrationibus initium duxerit; quæ ægrotum perturbant adeoque admittendæ institu-

tionis incapacem efficiunt, neque demum id, quod neglectum est, reparant. Quod si generatim prolixi, sibique connexi sermones apud infirmos parum, aut nihil proficiunt; multo id potiori jure statuendum est de his, qui laborant ignorantia. Locum hic habeat methodus catechetica. Priusquam discedat ea, quæ dixit, contrahat in pauciora; moneatque ægrotum, ut, quæ dicta sunt, interea diligenter animo recolat.

106.

Accidit interdum, ut ad *derisores religionis* vocetur pastor, opera eorum quibus vel amicitia, vel cognatione juncti sunt. Cum is, qui religionem docet, vi officii teneatur, nihil intentatum relinquere: integrum ei non est, his, etsi appareat fructus spes modica, suam opem denegare. Cum autem secundum observationes generales necesse sit, ut in impertienda institutione ratio habeatur eorum, qui sunt instituendi, atque nunquam non concilianda sit prius benevolentia ac fiducia; dubitari nequit, initium duci haud oportere a severis objurgationibus, aut propositione earum rerum, quas non credit infirmus. Itaque *a*) importunum fortasse haud fuerit, excusare eos, quorum opera vocatus fuit: *b*) offerat sua obsequia, indiciaque præferat voti, ut infirmus, quemadmodum mille alii, in religione solatium sibi quærat: *c*) sancte asseveret, se eum non esse, qui invito ac reluctanti se obtrudere velit, aut facessere molestiam. Spondeat, se nihil esse propositurum, nisi quod ipsemet annuerit esse proferendum.

107.

Qui eo munere fungitur, habetur quandoque durius: non admittitur ad alloquium; vel verborum contume-

liis afficitur; aut infirmus modestius indigitat, se hujusmodi opera haud indigere; dum de rebus prorsus indifferentibus, ac iis, quæ religionem nulla ratione attinent, loquitur. Quantum ad primum; probris atque injuriis opponat mansuetudinem, indulgentiam, miserationem; quantumque crescit ejus fervor; tantum doctoris patientia augeatur. Haud alienum fuerit, discedentem spondere se, ut primum vocatus fuerit, rediturum. Quantum ad alterum caveat, ne cœptum ab infirmo sermonem interrumpat; sed continuare potius satagat. Deinde discessurus, roget, num sibi redire liceat, ac videre, quo se modo habeat: et quæ his sunt similia. Quod si æger colloquiis de religione vere se immiscet: discernat, num agat sincere ac serio; an eo solum animo, ut hominum ora præcludat, externe ita mutatum se simulet. Per se patet, hac occasione, vitandas esse prolixas disceptationes, atque in id duntaxat esse insistendum, quod maximi momenti est, summeque necessarium.

108.

Quantum ad eos, qui communione sacrorum a nobis sejuncti sunt, statuitur augusta ordinatione cæsareo-regia, edita die 31. Ian. an. 1782. hunc in modum: " Catholicus animarum curator infirmos istiusmodi » acatholicos ultro, ac sponte sua, quin specialiter vo- » catus fuerit, semel invisat, eisque offerat suam ope- » ram. Quod si id genus infirmi desiderarent, redire ad » religionem catholicam, in eaque vitam finire; omne » ad id negotii necessarium eis subsidium præbeat. Iis- » dem autem animarum curatoribus præterea serio præ- » cipitur, ut in hujusmodi occasionibus omni, qua par » est, moderatione, lenitate, et christiana dilectione » utantur, omnique violentia se abstineant. Quare si » infirmus significaret, se eorum ope non indigère, » quin porro urgeant, mox discedant. "

109.

Cum duntaxat probus spem habeat vitæ melioris; haud opus esse videtur, hic monere, esse christiani doctoris atque pastoris, ut, cum sibi res est cum his, qui a pravitate vitæ nondum conversi sunt, munere corripiendi utatur. Duo hic peccatorum genera distinguuntur. Alii vocantur pertinaces, proprie ac vulgo *impœnitentes*, obdurati; alii significatu communi *peccatores.* Primum genus quod attinet; ea fere ratione, qua cum incredulis (§§. 106. 107.) agitur, agendum est. Opportune initium ducitur a rebus, quæ adiaphoræ esse videntur; v. gr. de diversis vitæ adjunctis ipsius infirmi, ut fors inde perveniat in notitiam originis, unde mentis illa obstinatio fluxerit; roget, num de primis religionis fundamentis sit persuasus, de vita post obitum, de immortalitate animæ, de justitia divina, peccati punitione etc. Colligat hinc consectaria, quæ eidem magis congruant: tum ea proponat, quæ ad rem faciunt. Interdum magnæ utilitatis erit; si coram eo una cum præsentibus orationem fundat, cui insertæ sint rationes, quæ ad resipiscentiam movent.

110.

Alii, peccatores equidem, at non obdurati, nón ejusdem omnes sunt generis. Nonnullos, dum decumbunt, reperire est summo mœrore afflictos, ac conjectos in angustias, alios vero plane tranquillos. Quantum ad eos qui tristantur, inuagandum est, num mœror, quo macerantur ex cognitione status animæ, an ex causis aliis ortum trahat. Quid rei sit, sæpe discitur, si pastor mox initio significet placere sibi, ac probari, ægrotum non, ut alii multi, ad ea, quæ male admiserunt, prorsus occalluise. Neque inconsultum videtur, initio solum commiseratio-

nis affectum commonstrare, ex misero, in quo versatur, externo statu conceptum; ac post transire ad ejus male facta, fortasse interrogando: An non intus etiam adhuc aliquid sit, quod salutarem tristitiam debeat procreare.

111.

Peccatores *tranquilli* plerumque nituntur multis bonis operibus, quæ tempore vitæ peregerunt, magnitudine miserationum divinarum, externis religionis actibus etc. Manifestum est, rationem hic habendam esse institutionis de eo, quod pertinet ad religionis substantiam. Initio laudet bonum, quod in eis deprehendit; transeat autem ad monita, atque cohortetur, ut ipsimet discutiant errata istiusmodi, quæ id genus homines minus pro piaculo habent, delicta, quæ negligentia committuntur, cum non fit, quod fieri debet, neglectas occasiones perficiendi bonum etc. Tum interroget, quo pacto hoc illudve conciliare cum sua pietate *putativa*, ut vocant, possit; porroque cum eis agat ex præscripto generali. Alia vice invisurus infirmum, roget, num id, quod sibi dictum fuerat, expenderit. Quod si affirmet, proferre jubetur, quantum rerum adjuncta sinunt, argumenta indubitata mutatæ mentis, si v. gr. veniam delicti petiit ab his, quos offendit, aut si restituit bona injuste parta; et quæ sunt id genus alia. Tandem circumspecte curet, ne suasione eorum, qui prius erant adjutores criminum, aut mentis dissipatione, aliisve impedimentis, quæ his similia sunt, a bene cœptis denuo avertatur.

112.

Neque eodem omnes modo comparati sunt *probi christiani*, dum lecto affiguntur. Multi pleni sunt solatio, tranquillitate, spe beatæ mortis, ac sæpe emendant piis sermonibus eos, qui coram sunt. Alii vexan-

tur multiplici inquietudine, angustiis, et tentationibus. Quod eos attinet, qui quieto pacatoque sunt animo; danda est opera, ut eodem semper sint, ac in animi demissione permaneant. Eum in finem istiusmodi sententiæ eis proponantur, repetendæ ab ægris, quæ animum confirment, quo sunt, quæque præcipue exprimant omnia, quæcumque habemus, Dei dona esse, ac neminem reperiri qui vitiis obnoxius non sit; et his similia. Quantum ad illos, qui anxietate premuntur; ratio, ut apparet, habenda est, impertiendi solatii, monitique adversus animi dejectionem. Huc spectant doctrinæ variæ de rebus adversis, quibus Deus nostram virtutem excitat, de bonis earum consectariis, de bonorum operum, quæ a piis peraguntur, merito etc.

113.

*Pueros* infirmos quod spectat; perspicuum est, discrimen esse statuendum inter eos, qui necdum capaces sunt instructionis, et hos, qui jam percepta habent principalia quædam capita religionis christianæ. Quantum ad illos prioris generis; non est pastoris, nisi, ut fors consoletur parentes, eosdemque hortetur, ut divinæ voluntati se conforment; posterioris autem generis pueris revocet in memoriam *a*) doctrinas, quas jam sibi cognitas habent: *b*) speciatim eas accommodet præsentibus eorum adjunctis *c*) discutiatque vitia pueritiæ familiaria.

114.

Etiam morborum diversitas observationibus non paucis singularibus ansam præbet. Dantur morbi diuturni, casus subiti et inopinati, summe periculosi, qui admodum probabiliter, atque etiam subito mortem inferunt.

115.

In morbis diuturnis opus est crebris visitationibus.

Proponat doctrinas de conformatione ad voluntatem divinam, de proportione inter dolores et remunerationem, de necessitate perseverantiæ usque in finem, de detrimento, quod incurrimus impatientiæ causa; quæ quidem non eadem semper ratione efferat; sed aliter et aliter: cumque longa duratio rem exasperet, ac malum reddat difficilius: oportet, ut apponat temporis diuturnitati felicitatem æternam; eademque ratione ideam de diuturnitate mitiget.

116.

In casibus subitis, dum mors certa et tempus perbreve est, omnia pendent a dexteritate, breve illud tempus, ut par est, fructuose impendendi, et seligendi ex instructionibus ea duntaxat, quæ sunt momenti maximi, eademque contrahendi in pauciora. Committendum itaque non est, ut momenta pretiosa prodigantur allocutionibus prolixis: Quanquam vero de statu animæ, in quo sit infirmus istiusmodi, indagandum sit; cavendum tamen est, nequid nimis. Neque enim cruciandus est miser fortasse nimis anxia et accurata peccatorum confessione; quæ dum fit, sæpe negligitur id, quod ad contritionis pertinet substantiam.

117.

Quod si unquam observatio supra tradita: qua dictum est etiam, dum agitur cum peccatoribus, initium non esse ducendum a correptionibus, exceptionem patitur, certe locum habet, ubi res est cum his, qui audacter factis, rixando, aut certamine singulari (duello) vulnerati fuere. Sumere hic liceat; adversus prudentiæ regulas eum haud impingere, qui id genus hominibus mox ostendat, quam absonas, ac ridiculas notiones de honore sibi formarint, quamque petulanter malum sibi

ultro accersiverint. Casus extraordinarii etiam extraordinaria remedia admittunt. Præcipue hic urgeri oportere, ut dent offensæ veniam, ac reconcilientur offensis, per se patet.

118.

Aberraret a scopo, quicumque cum his, qui consciscere sibi mortem parabant, eadem ratione agere vellet. Objurgationes, quibus mox initió uteretur, non valerent nisi eo, ut miseros perturbarent, adeoque ineptos redderent, ad percipienda ea, quæ eis proponenda sunt. Tum demum, cùm commiserationis affectum ostenderit, proposueritque misericordiam Dei, qui temporis spatium adhuc aliquod indulget, et his similia; ac tranquillitatem animæ reddiderit; proponat autochiriam, ceu actionem quæ voluntati divinæ, societati humanæ, scopo vitæ nostræ, naturali instinctui de sui conservatione etc. adversatur. *)

*) *Confer. inter alios Gottf.* De antochiria. *Gotting.* 1768.

119.

Quod si morbus non sit conjunctus cum periculo vitæ: in id præcipue curator animarum incumbat, ut ægroto ostendat, qua ratione, secundum Dei ordinationem convertere hanc ægritudinem debeat ad suam utilitatem. Moneat, ut meditatione seria cogitet de vanitate rerum humanarum, de pretio valetudinis, de bona ejus conservatione, et applicatione etc. Hortetur, ut bona proposita concipiat pro futuro statu restitutæ sanitatis; et his similia proponat.

120.

Quæstioni. num sit curatoris animarum, his, qui

morbo lethali correpti sunt, ut vel certo, vel pæne certo mors eis instet, finem vitæ certo imminentem, aut saltem mortis periculum denuntiare? responderi simpliciter *affirmative* haud potest. Sæpe enim accidit ut ejusmodi denuntiatio vergeret in detrimentum ægroti; sive corpus, sive animam spectes. Generatim dici potest, esse optimum factu; si neutrum, i. e. neque certitudinem recuperandæ sanitatis, neque certitudinem mortis, tanquam certum, asseveres. Adjuncta tamen singularia faciunt, ut periculum mortis, tempore aliquo, dissimulari, aut indicari verbis subobscuris, aut significari apertius; sæpe etiam inevitabilis mortis tempus urgens denuntiari rotundis verbis debeat. Quid agere oporteat, definiendum, colligendumque est e statu infirmi, sive corpus sive animam attinente, ex adjunctis rei familiaris, ex ejus indole.

121.

Cum sæpe fit, ut inter superstites etc. excitentur perturbationes, dissidia, lites: si, qui decessit, suprema sua haud ordinaverit; cumque religionis christianæ præscripta id fieri jubeant: pastoralis muneris officium exposcit, ut periculose decumbentes hac de re moneat curator animarum; revocetque in memoriam regulas christianæ legis, quas hic observare oportet. Interea, quantum fieri potest, verbis generalibus id agat; neque descendat ad particularia. Maxime huc spectat commendatio egenorum. Testamenta aliena conficere non est curatoris animarum: estque prohibitum ordinatione cæsarea; ita, ut testamentum hujusmodi irritum sit. *

*) " *Ex hoc die* ( *ita fert augusta ordinatio*, *edi-*
» *ta die* 4. *Sept. an.* 1771.) *omnibus*, *tam clericis*
» *secularibus*, *quam cui demum cunque instituto regu-*
» *lari adscriptis*, *prohibemus*, in omnibus etiam sum-

„ mæ necessitatis casibus, *dum eos, qui legere, aut* „ *scribere docti sint, haud sit invenire, confectionem* „ testamenti alieni; *et quidem* sub nullitate actus. „ *Cum si casus eum in modum urgens accideret alicubi,* „ *ut præter virum ecclesiasticum, qui coram adesset,* „ *nemo invenire posset, qui artis legendi, scribendique* „ *esset gnarus: morituriенti integrum foret, ac si tan-* „ *tum adhuc temporis, et virium suppeteret, multo fa-* „ *cilius, aut saltem æque cito posset dictare ad cala-* „ *mum viro ecclesiastico, ac declarare supremam vo-* „ *luntatem suam coram duobus viris honestis, etsi lit-* „ *terarum prorsus ignaris; hocque modo testamentum* „ nuncupare. *Declaramus præterea, omnes cui demum* „ *cumque ordini addictos (non tamen clericos seculares)* „ *etiam in mox memorato necessitatis casu, ceu inha-* „ *biles ad munus testium obeundum in testamenti con-* „ *fectione, ita, ut hæc eorum actio sit irrita. Idem* „ *est intelligendum de curatore animarum, qui est ad-* „ *dictus instituto alicui regulari. Si autem is, qui re-* „ *gulari instituto adscriptus fuerat, dispensatione pon-* „ *tificia, legitime solutus fuerit ab Ordinis sui vincu-* „ *lo, redactus in classem sacerdotum regularium; ut* „ *is, presbyterorum secularium adinstar, agere possit* „ *testamenti jam in scripturas redacti testem idoneum;* „ *non item* testamentarium, *aut testamenti confectorem* „ *decernimus.*" Circular. die 2. Iunii an. 1785.

122.

Absit, ut timorem mortis quis reputet, semper esse indicium animi non conversi. Est in morte, quod per se timeatur. Interea immoderatus timor temperandus est christianæ religionis propositis doctrinis. Si oritur ex animo bonis terrenis, amicis etc. affixo, ostendat pastor eorum inconstantiam, ac revocet in memoriam dies tristes, qui perpetua vicissitudine cum

lætis variant; eisque opponat stabilem, ac incommutabilem felicitatem. Si amor erga necessarios est causa metus; proponat Dei providentiam, qui eos absque dubio tueri potest; asseveretque oraculis divinæ revelationis fallere nesciis fore, ut nos omnes mutuo rursus conspiciamus; cum quidem erimus conjuncti multo felicius. Si tandem angor ille proficiscitur ex timore servile adversus Deum: emendet hac in re eorum notiones; jubeatque eos considerare misericordiam supremi numinis, quam bonis animi affectibus possint consequi.

123.

Articulo mortis imminente; infirmus debilis admodum, vel adhuc intelligit id, quod sibi proponitur; vel num intelligat dubitatur; vel sensuum usu plane est destitutus. Si *primum* evenerit; excitet eum curator animarum perquam brevibus, perspicuis, ejus statui congruis, ægroque jam cognitis sententiis, ad Dei laudem, ad spem melioris vitæ, desiderium veræ vitæ etc. Nunquam non sermonem interrumpat. Si *alterum*; moneat infirmum, ut animi sensa cum his, quibus præitur, conjungat. Si *tertium*; omnis allocutio haud dubie est inutilis. Verumtamen obsecundandum est sæpe necessariis, qui volunt, ut id fiat. Locus hic est, corrigendi varia in orationem, quæ spectent ad emendationem adstantium. Curet, ut ne, qui valde sunt debiles, perturbentur ab his, qui adsunt. Arceat eos, quantum fieri potest, a lectulo infirmi, moneatque, ut pro morituro preces fundant. *)

*) *Confer. Rituale archidiœc. Vienn. edit.* 1774. *pag.* 251.

124.

Infirmum ubi vitam finiit, commendet pastor una

cum præsentibus ejus animam Domino, fusa oratione, quæ faciat ad emendationem aliorum. Ad necessarios quod pertinet, haud est dubium, quin generatim ratio habenda sit ferendi solatii. At etiam hic suppetit ansa, eis insinuandi multiplicis generis doctrinas, quæ valeant ad meliorem eorum frugem.

125.

Quod si opus est operationibus chirurgicis, quæ sunt conjunctæ multis cum doloribus, aut mortis periculo: officium curatoris animarum præcipue id exigit ut præparet ad id negotii infirmorum animos, ac erigat. Dum operatio ipsa peragitur, ejus allocutio fere superflua videtur esse. Sæpe decorum non patitur ejus præsentiam: sæpe impedit teneritudo sensus. Interea dum desideratur, dubium non est, eum obsequi oportere. Quid proponere debeat, colligitur ex hucusque dictis.

126.

Dum morbi latius manentes invalescunt, præter regulas agendi generales, ac præscriptiones fortasse singulares, illis rerum adjunctis accommodatas, superfluum haud censetur, neque levioris momenti illud monitum, ut, cum jam sint complures, qui pastoris ope indigeant, tempus prudenter distribuat: tantummodo id, quod est maxime necessarium, proponat, et sibi est ipsemet, aliisque, qui contagione infecti sunt, animos addat.

127.

Eos, qui mortis periculo eripiuntur, excitet 1) ad gratum animum erga Deum reapse exhibendum pro accepto redditæ valetudinis beneficio: 2) revocet in memoriam, quæ, dum morbo luctabantur, conceperunt

proposita; moneatque ut ea, qua par est fide, præstent id, quod decreverunt; ac demum 3) præscribat eis vitæ agendæ ordinem, attemperatum periculis et occasionibus, quæ teporem inducere possent, aut extinguere mentis ardorem.

128.

Cum curator animarum omnibus, excepto nemine, opem ferre teneatur, necesse est, curam ut gerat facinorosorum, qui, dum flagitia admiserunt, humanæ societati adversantia, suppliciorum publicorum reos se egerunt. Dum captivos invisit, magnopere prodest religionis doctor non solum reipublicæ, verum etiam hisce miseris. Sceleratos adducere potest ad saniorem mentem, ac efficere, ut evadant utilia reipublicæ membra; saltem id agere poterit, ut criminum socii, quos compertos habere reipublicæ sæpe multum interest, detegantur; et his similia.

129.

Quemadmodum generatim in instruendo; ita etiam hic operam ludit, quicumque nescit, conciliare sibi fiduciam, amorem, attentionem. Præ se itaque ferat, qui fructuosus esse cupit, affectum miserationis, facilitatem morum, paratumque animum ad conferendam operam, quantum in se est etc.

130.

Fit fere, ut id genus homines conquerantur adversus magistratum, loquantur de sententia judicis inique lata, aversentur eos a quibus fortasse delati, aut vi officii comprehensi fuerunt. Ostendatur itaque eis, jus ac officium magistratus esse, punire reos, ac invigilare

communi reipublicæ commodo. Proponat eis, hos, a quibus accusati fuere, nihil egisse, nisi quod officii, quo funguntur, partes exposcerent.

131.

Ut securitas publica, quam, dubio procul, curator animarum etiam promovere tenetur, sarta tecta conservetur, interest, criminun participes detegi, reddique veram confessionem de sociis scelerum. Hac itaque de re legis christianæ officia ante oculos ponat; cumque momenta, quæ ex religione petuntur, non semper animos moveant: proponat eis, pertinaciter negando, vel reticendo se efficere, ut secum ageretur durius, diutiusque tenerentur captivi; in extremis compellendos tamen eos esse, ut faterentur omnia. Quin singulari opus sit monito; perspicuum est, esse inexpiabile crimen si ipsemet animarum curator, ad multiplicis generis effugia *Casuistis* familiaria conversus, amphibologias suggerere hujusmodi facinorosis vellet.

132.

Generatim repræsentet sibi animarum pastor istiusmodi homines, ceu incultos, ignaros, malignos, versutosque. Unde consequitur, doctrinas, quæ facillime capi queunt, seligendas esse; adferenda argumenta, quæ maxime nituntur testimonio sensuum; esse ea reducenda ad prima moralis doctrinæ principia; neque asseverationibus eorum facile esse habendam fidem; tandem præcipua eorum axiomata potissimum refellenda esse; v. gr. omnia audacter neganda sunt; et absque piaculo perpetrantur, quæcumque censuram judicis effugiunt etc.

133.

Dum emendandi sunt istiusmodi homines, locum

*

habent regulæ generales, quas de officio corripiendi tradidimus, præcipue illa, qua præscribitur; ut ne curator animarum in sola actione externa sistat; sed redeat ad ipsum vitiorum fontem. Non itaque satis sit, proferre argumenta adversus pravas eas actiones, quibus factum est, ut inciderent in manus judicis; sed contendat, postquam initium inde fecerit; eorum mentem, animique sensa emendare.

134.

Perspicuum est, ad id efficiendum pastori opus esse accurata cognitione facinorosi; quam dum sibi parat, diligenter curet, ut omnem a se amoliatur cum magistratu collusionis speciem. Ea quidem notitia alio modo obtinenda haud est, quam familiaribus colloquiis, queis eo adducendus est sceleratus, ut vitam suam ejusque adjuncta ipsis exponat, unde causæ principales, atque fontes corruptæ indolis colligi poterunt. Generatim hic fructu carent sermones sibi connexi, quod sint id genus homines haud attenti, inculti, ignari, ac fere expertes omnis sensus, quo aut percipiant, aut in animus demittant ea, quæ dicuntur. Methodus *catechetica*, sive *Socratica* permagnam utilitatem hic adfert.

135.

Hoc etiam loco in primis opportunum est observare id, quod supra tradidimus, videlicet ab animarum curatore, dum munus corripiendi obit, sedulo habendam esse rationem discriminis, quod inter facinorosos intercedit. Dubitari nequit, alia ratione esse agendum cum iis, qui ab adolescentia pravis cupiditatibus laxarunt fræna, animumque obdurarunt in sceleribus; alia cum illis, qui ab aliis ad nequitiam attracti, necessitate, aut fors inopinata quadam occasione adducti abreptive cupiditatis impetu, scelus perpetrarunt. *)

( * *Qua ratione utendum sit in redarguendis flagitiis singularibus, edocet articulus de peculiari officio corripiendi; quem velim consulas.*

136.

Cum magnopere verendum sit, ne, qui captivi tenentur, de nulla re, quæ sit frugi, cogitent; aut fere non animo volvant, nisi qua via erumpere possint aut elabi, quibus effugiis in respondendo uti, ac judicem fallere: danda est opera, ut instruatur, qua ratione valeant animum utiliter occupare congruenter fini reipublicæ, et christiani hominis officio.

137.

Iis, qui tolerata pœna dimittuntur, revocet in memoriam doctrinas tempore captivitatis traditas, una cum rationibus, quæ ad emendationem movent. Moneat, ut occasiones, prava consortia ect. fugiant: ne denuo pœna subjiciantur. Ante omnia autem eo adnitatur, ut isti intelligant, probitate etiam temporalem felicitatem, tranquillitatem, securitatem etc. promoveri.

138.

Hi, qui ad operas, quoad vivent, condemnantur, persæpe incitantur ad impatientiam animi, ac murmur, et his similia. Ut modo aliquo tranquillentur, comparet conditionem eorum cum sorte tot infelicium aliorum, qui, quanquam probi sint, vitam tamen ducere coguntur plenam curis, occupationibus obrutam, atque laboriosam. Committendum tamen non est, ut rem exaggeret plus æquo; sed haud obscuris indiciis semper innuat, esse differentiam inter incommoda aut mala, quæ

probi perferunt, et inter pœnas horumce facinorosorum.

139.

Aliquando etiam necesse est, ut nonnulli, ceu noxia reipublicæ membra, illata nece, e medio tollantur. Manifestum est, esse curatoris animarum, ut eos in quos est lata mortis sententia instruat iis de religione sensis, quibus imbutos eos esse oportet, dum hinc migrant. Consideret eos, 1) ceu atrocium criminum reos, 2) generatim, ut eos, qui gravioribus angustiis urgentur, 3) ut brevi morituros. Hinc percipitur, qua ratione generatim eum eis agendum sit.

140.

Cum plerumque fiat, ut facinorosus dum morti sententia ei denuntiatur, eidemque præsens sistitur religionis doctor, terroribus, angustiis, aut animi acerbitate ac indignatione obruatur: oportet, ut vultu, gestibus, ac verbis amicis, miseratione plenis, atque iis, ut in communionem doloris venire videatur, solatiumque afferentibus efficere studeat, ut non ab eo ut terrificus mortis nuntius; sed ut fere is habeatur, idemque solus, qui extremo hoc tempore adhuc levamen, et solatium præstare possit. Quare merito cautum est, ne animarum curator reo mortis sententiam denuntiet.

141.

Ut recto ordine rem peragat, et breve illud, quod adhuc reliquum est, tempus utiliter, ut par est, collocet, secum statuat, delineetque apud animum suum, quo pacto cum facinoroso agendum sit, habita ratione cognitionis, quam hausit sive ex ipsomet tempore captivitatis, sive ut adjuncta sæpe ferunt, ex his qui-

bus cura demandata est captivorum, sive ex prima allocutione.

142.

Cum ea, quæ de religione proponuntur, parum proficiant, quandiu inquietudo, et stupor mentem occupant, dumque solatii omnis expers est facinorosi animus: ante omnia allaborandum est curatori animarum, ut dolorem mitiget conceptum ex imagine subeundæ pœnæ capitalis, animumque ejus moderate tranquillet. *Moderate*, inquam; qui enim efficit, ut eum animi, vultusque habitum induat, quasi perinde haberet, quidquid accidat, quique stoicum frigus, quod quidem, uti manifestum est, nullo prorsus fundamento nititur, excitat: parum prodest sive criminis reo, sive reipublicæ. Uti enim ferre indifferenter plus æquo mortem, haud decet pœnitentis habitum; ita haud valet ad excitandum in animis aliorum adversus atrocitatem criminis terrorem.

143.

Ut solatium quoddam misero adferat, comparet istiusmodi mortem cum statu misero hominum aliorum, quibus diuturnæ, ac cum acerbissimis doloribus conjunctæ ægritudines perferendæ sunt; aut qui post vitam diu in malis actam inopinato, ac prorsus imparati hinc rapiuntur. Neque, ut reus talem, uti par est, mentem induat importunum fuerit, exempla eorum adducere, qui propter justitiam persecutiones passi sunt. Hic tamen curet sedulo, ut perspicue ante oculos ponat discrimen, quod inter mortem priorum, et hujusmodi sceleratorum interest. *)

*) Et nos quidem juste, *inquiebat latro qui cum Jesu cruci affixus erat*, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit. *Luc. XXIII.* 41. Nemo

***

autem vestrum patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem ut christianus, non erubescat. 1. *Petr. IV.* 15. 41.

144.

Se immiscere accuratiori discussioni, num justa sit sententia mortis, non est ejus, qui religionem docet; estque res ea inutilis, ac conjuncta cum jactura temporis (aliquando etiam noxia.) Inhæreat hic principiis generalibus; (§. 123.) præsumptio enim, ut jurisconsulti loquuntur, semper stat pro judice, qui nullum inde commodum reportat, quod miserum tollat e medio. Roget, ne molestiam creet istiusmodi quæstionibus, aut concertationibus, quæ proprie fori nostri non sunt. Moneat, ut exiguum temporis spatium, quod suppetit, rebus momenti gravioris impendat.

145.

Præire precibus, in quibus nihil est, quod afficiat, aut proponere instructiones sibi connexas, quæ liberum requirunt auditoris animum, nihil aut parum hic efficit, Unice danda est opera, ut capitis reus eo adducatur, humanum sensum ut induat, ac miserationis affectum erga eos, quos facinore suo reddit infelices, exuatque opiniones præjudicatas, et affectiones pravas. Quod ut fiat, necesse est, ut a crimine, quo factum est, ut eum in statum conjiceretur, ad primam ejus originem redeat; eidemque ostendat initium, ortum, atque progresiones, quibus paulatim ad eam mentis depravationem delapsus est; ut status animæ, in quo versatur, universam fœditatem el ponat præ oculis

146.

Varia facinorosorum genera quod attinet; multa,

quæ sunt frugi, conferri huc queunt ex his, quæ supra observavimus. Nemo non intelligit, brevitatem temporis haud pati, ut pastor cum religionis derisoribus prolixis concertationibus se immisceat. Sit verborum parcus; et attentus sermonibus eorum, ut fors deprehendat in dictione falaciam, atque in notitiam veniat fundamenti infirmi, cui omnem suam incredulitatem superstruxerint. Præcipue urgeat præscriptiones morales; unde haud dubie sole clarius ostendere poterit peccasse eos adversus primas justi, et æqui notiones.

147.

Quod si ad eos vocatur, qui sunt alieni a religione nostra: offerat eis suam operam; roget, num prorsus nullo agantur dubio, quod attineat singulares opiniones religionis, qui sunt addicti. Leni oratione eis exponat fundamenta religionis nostræ. Quod si haud probent mutationem ullam: in hortando non utatur, nisi principiis generalibus religionis christianæ; quin de doctrinis, quæ nostram religionem ab alia distinguunt, quidquam immisceat.

148.

Iis, qui perpetui sunt in eo, ut magistratum insimulent injustitiæ, eumque criminentur, proponat, conamen hunc esse inutilem, supremum referre malitiæ gratum, atque excœcationem esse lacrymis dignam. Impugnet opinionem, qua ducuntur, quasi in ipso suplicii loco deprecatione veniæ reparare possent omnia. Deus non irridetur.

149.

Pari fere modo cum iis agat, qui, ut vitam servent, impœnitentes se simulant. His dicat, judicem propterea motum haud iri ad mitigandam sententiam: gratiam

eis fieri, quod tempus et occasio præbeatur, conscientiæ suæ melius consulendi: eaque malitia se nocere sibi solis. Quod si permittatur, discedat, significetque, se non rediturum, nisi plane desideratus fuerit.

150.

In iis, qui pœnitentiam, mœrorem, promptum animum moriendi, et his similia præferunt, nihil est timendum, nisi nativam mollis pavidique animi imbecillitatem, fastidium vitæ, et alia id genus, non veram peccati ejusque turpitudinis agnitionem illarum affectionum causam esse. Opus itaque hic est, ut ea de re serio indaget, atque studeat vera et christiana pœnitentis animi sensa excitare.

151.

Quod si in more positum est (si quidem ei consuetudini obluctari integrum haud fuerit curatori animarum) ut ad colloquium aut conspectum ejus, qui reus capitis est, admittantur homines alii; *) impediat, quoad ejus fieri potest, omnem strepitum, atque perturbantem sæpe aures, mentemque penitus obtundentem tumultum. Quanquam vero animum hominis rei non semper oporteat esse intensum: curet tamen, ne sermonibus notorum abstrahatur ab eo, quod magni est momenti; neve ejulatu, indiciisque commiserationis ejus animus enervetur.

*) *Conjectura est, partim id fieri, ut benevoli occasiones nanciscantur, largitione donorum animum monstrandi commiseratione tactum. Ferendum id utrumque est; at omnibus juris naturalis principiis adversatur, eis permitti, ut pecunias, quæ ea occasione redeunt, cum vel damna illata aliquo modo hinc reparanda sint, vel cum sint erogandæ in subsidium egenorum, ii pro*

*arbitrio curatoribus captivorum, vel iis, quos necessitudine aliqua sibi conjunctos habent, et his similibus quasi testamento relinquant.*

152.

Quæritur hoc loco, num religionis doctor eos, qui capitis damnati sunt, comitari debeat, usque ad supplicii locum, et an generatim id bene sit consultum? Cum vi officii, quidquid in se est, etiam dum eventus dubius fuerit, agere teneatur; comparate ad eum facilis est responsio; si a magistratu permittitur; aut si more est receptum. Dubio fere caret, postrema hæc colloquia non esse tantæ necessitatis, et utilitatis. Quod generatim eorum fructum att net; videtur consultius esse reo, si in hujusmodi adjunctis ea sibi proponantur, quæ piis cogitationibus ansam præbeant; quam si vel de re ulla cogitet, vel affectibus, qui animum abripiunt, penitus relinquatur. An non saltem sint certa flagitiorum genera, in quibus ea re fiat, ut scopus pœnæ publicæ frustretur, his dijudicandum relinquimus, quibus securitas publica curæ est. *) Ceterum e scopo horumce suppliciorum liquidum est, esse curatoris animarum, ut, siquid potest, impediat, ac dissuadeat, quidquid pompæ quamdam speciem refert, et nihil, nisi vanam admirationem, aut fors apud nonnullos desiderium excitat æque magnifice moriendi.

*) *Hac de re* Berolini *comparuit magni momenti elucubratio. Erant qui hunc librum impugnandum sibi sumerent. Disputatum scilicet ex utraque parte est, utrum bene consultum ac necesse sit, vocare concionatores, qui captivis veritates Christianæ religionis exponant; tum curare, ut capitis damnati ab animarum pastoribus præparentur ad mortem, et ad supplicium deducantur.*

153.

Cum id genus miseri ad supplicii locum adducuntur, dubium non est, tales eos esse, qui cum extremis mortis angustiis luctentur. Hic itaque comparate est adhibendum id, quod supra de moribundis observavimus. Moneatur capitis damnatus rerum maxime necessariarum, earumque, quæ sunt ponderis gravissimi, quæ tempore captivitatis, et præparationis propositæ ei fuerunt. Intolerabile foret reo, ac inutile; si multis sermonibus obrueretur.

154.

Luculenter apparet, ut ne lictori suo infeliciter fungendi ansa præbeatur, committendum non esse, ut vel subita abruptione allocutionis, vel inopinata vocis intensione, vel alio quocunque modo, capitis damnato punctum quasi temporis denuntietur, cum feralis ictus ducitur.

155.

Locis multis est in more positum, ut peracto capitali supplicio allocutio habeatur ad præsentes. Etiam hic primum quærere liceat, num in tanta auditorum aliter atque aliter sentientium diversitate, solitoque strepitu quidquam, quod ad emendationem faciat, proponi possit. Ceterum in istiusmodi adjunctis occasio suppetit, ex turpitudine criminis, quod eum, qui capitis multatus est, in mortem conjecit, conjecturam faciendi de turpitudine peccati generatim, discendique, quomodo quis pedetentim in peccata gravia prolabatur, quæ effugia quærat, quos effectus malos peccatum progignat, qua ratione primum illius fundamentum jaciatur etc. Magnopere erraret, qui scelerati hominis qui morte sublatus est, laudes vellet celebrare sermones

aut conversionem ejus, quæ numquam non dubia fuerit, plus æquo deprædicare.

*) *Libri hanc in rem utiles sunt*: Materialia ad Theologiam patoralem. Instructio fallendis horis hominum carcere inclusorum destinata. *Zürich* 1772.

156.

Quod id genus miseros attinet, quibus fere nulla est facultas utendi ratione, aut qui sunt ingenio hebeti; videtur generatim arduum esse, aut prope fieri non posse, ut rebus ad religionem pertinentibus instruantur. Cum vero definiri semper accurate haud possit; quid capiant, aut quosque eluctari eorum vis intelligendi possit; est, ut pastor agat id, quod, quantumve in se est. Saltem brevibus quibusdam sententiis tam diu præeat, donec repetant. Variis etiam signis indicet, hoc, illudve, ad quod eos propendere deprehenderit, esse turpe, malum, pœna dignum. Præcipue gerat curam, ut alii cum hujusmodi hominibus semper agant blande, humaniter, ac benevole; neque permittant, ut puerili et petulanti ludibrio ad iram eos provocent.

157.

Id, quod posteriore loco diximus, observandum pariter est præcipue in *amentibus*, qui usu rationis prorsus carent, atque separari debent a societate humana. Est sane ferocis, ac vere barbaræ indolis: si ii, quorum curæ hi miseri demandati sunt, inhumaniter cum illis agant. Facile intelligitur, homines ejusmodi doctrinis salutaribus institui haud posse; nisi fors illo tempore, quo, ut dicere solemus, habent *intervalla lucida*, quæ quidem utiliter impendenda sunt.

158.

Huc quoque pertinent gerenda pro *surdis et mutis.* Recentiori ætate feliciter, bonoque succesu tentatum est, eorum mentibus ingerere notiones, efficereque, ut sint utilia societatis membra. Nonnulli adnisi sunt, eis reddere loquendi usum; *) quam in rem IOHANN. LUD. FER. ARNOLDI, parochus *Grossenlindensis* prope *Giessam*, curam studiumque singulare impendit. **) Præcipue vero memoratu digni sunt conatus SAMVELIS HEINIKII. ***) Studium præterea adhibebatur, quo fieret, ut surdi et muti apti efficerentur, ad cogitata sua consignanda litteris, communicandaque cum aliis. Qua quidem instituendi ratione nihil videtur esse naturæ magis conveniens, ac utilius. Magister discipulo monstrat res varias, earumque nomina, quæ scriptis exprimit, eidem exhibet. Quotiescunque igitur scriptum vocabulum intuetur, toties reviviscit in anima ejus idea illius rei, quam viderat. Neque deerant, qui invenirent modum loquendi signis, atque singulare *alphabetum digitorum*, de quo OTTO BENIAMIN LASIUS, superintendens ac pastor *Burgtorfensis* in *ducatu Cellensi* pleniorem notitiam dedit. ****) Vix dici potest, quam hac de re sit præclare meritus abbas L' EPEE *Parisiis*, qui anno 1776. institutionis methodum, qua utitur, publici juris fecit. *****) Ars surdos et mutos instituendi, *Vindobonæ* sumptibus publicis, singulari industria nunc colitur a STORKIO Cæsareo regio ejus instituti professore.

*) *Eo consilio editus est an.* 1683. *a* Ioanne Wallis: Tractatus grammatico-physicus de loquela, sive sonorum formatione. *Ante* Wallisium *vulgavit* Wihelmue Holder: Elementa loquelæ, seu specimen inquisitionis in naturalem litterarum productionem, una cum

appendice pro institutione surdorum, et mutorum. Londini 1669; *et* Io. Conradus Aman *an.* 1692. *dissertationem edidit* de surdo loquente, *quæ an.* 1700. Amstelodami *auctior prodiit hac inscriptione*: Dissertatio de loquela, qua non solum vox humana, et loquendi artificium in originibus suis eruuntur; sed et traduntur media, quibus ii, qui ab incunabulis surdi, muri fuerunt, loquelam adipisci, quique difficulter loquuntur, vitia sua emendare possint. *Ut defectui auditus occurreretur, publicavit academia* Parisiensis *an.* 1718. *aurem arte factam.*

**) *Vid.* Ioh. Ludw. Ferdin. Arnoldi, *Manuductio practica quomodo homines a nativitate muti scribere et loqui doceri possint, addita Præfatione.* Giessen. 1777.

***) *Vid. Quædam utiliter detecta circa Psychologiam etc.* Leips. 1784. *Museum geormanicum.* 1781.

****) *Conf.* Ausführliche Nachricht. *Notitia accuratior de instructione surdæ et mutæ natæ fœminæ nobilis de Meding, quæ duobus annis postquam instrui cœpit, eo pervenit, ut scripto cum ea misceri sermones et de rebus religionis haberi catecheses possent.* Leips. 1757.

***) *Institution des sourdes, et muets par la voje des signes methodiques. Paris* 1776, *pag.* 350. *in* 12.

159.

De methodo agendi cum hujusmodi hominibus sequentia observat LASIUS: 1) Qui eos instituturus est, utatur singulari erga eos lenitate, et præcipue initio ne nimis rem urgeat, aut severius laborem injungat; alioquin institutio eis efficeretur molesta, ac plena tædii.

2) Ut sunt fere pronis ad nova animis; ita hanc propensionem in usus intento fini congruos convertat. 3) Neque satis esse putet, institutionem certis horis alligare; sed quantum fieri potest, studeat, perpetuo cum eis versari, ab eis discere nonnulla signa, quæ sibi familiaria habent. 4) Det operam, ut, cum annos pubertatis attingunt, sollicita eorum cura habeatur.

160.

Cum curatoris animarum munus efflagitet, ut præceptum christianæ legis de dilectione aliorum, et concordia in suo cœtu servetur: sequitur ipsius esse, ut discordes animos mutuo conciliet, atque inimititias tollat. Absit autem, ut propterea quis cogitet, oportere, ut quibuscumque, sæpe etiam levioris momenti dissidiis, haud raro conjunctis cum periculo propriæ suæ auctoritatis, majorem in modum se interponat. Sæpe non est opus, nisi ut generatim proponat necessitatem condonandi aliis noxas, diligendi inimicos, et quæ his sunt similia. Omnem suspicionem studii partium vitet.

161.

Si rerum adjuncta patiantur, neque sit inevitabilis suspicio collusionis, in colloquium conveniat cum utraque parte seorsim; audiatque querelas, et caussas dissensionis animo prorsus pacato placidoque. Quod si advertat, parti, quacum confert, jus deberi: nihil obstat, quo minus id ei asserat; at tamen haud dissimulet, se sumere, vera esse, quæ sibi nuntiata fuerint. Moneat, eum, qui injuriam intulit, lugendum potius esse, quam habendum odio; eumdemque excuset, quantum potest. Quod si facta ejus approbanda non sunt: ostendat ei gravitatem injuriæ, vanitatem excusationum, quæ communiter in hujusmodi casibus solent adduci, necessitatem, atque fructus reconciliationis. *)

*Vid.* Miller, *De officiis christianorum inimicos, causas civiles, et duella spectantibus.* 1771. 8.

162.

Interdum fit, ut, qui erant inimici, coram curatore animarum amicitiam redintegrare velint. Ostendat hic 1) suum ea de re gaudium: laudet eorum consilia, quæ novis rationibus stabilire contendat. 2) Dicat, se sperare, non fore hypocritam, semicoactam, multiplicis generis emolumentis, quibus inhiant, qui sua commoda quærunt, innixam reconciliationem, sed seriam, et christianam. 3) Eos moneat, ut sæpe in memoriam revocent eam horam; eosdemque roget, ut sibi liceat, si denuo in novas inimicitias descensuri sint, hujus facti eos commonere. Cum 4) recordatione præteritorum fomes inimicitiæ facile accendi possit, ne permittat, eos anagyrin commovere.

163.

Cum ex litibus, quæ ex judiciis agitari solent, communiter nascatur occasio, lædendi dilectionem christianam dubium non est, oportere pastorem animarum malum impedire, quantum moderate potest. Proponat eum in finem incommoda conjuncta cum litibus, jacturam temporis, tranquillitatis animi, pecuniarum, et his similia. Eos, qui impliciti sunt litibus, quas quidem vitare haudquaquam potuerunt, moneat, 1) ut seponant omne odium, comparare ad personas, 2) vitent aculeata quæcumque dicta, quæ animos fodicant, quin causam reddant meliorem; 3) æquo animo judicis sententiam expectent: 4) neque studeant mediis haud permissis judicium in suas partes flectere: 5) cum parte, quæ causa cadit, non agant ex rigore juris, sed ex

15

æquitate, quandocumque id possunt, quin lædant officium, quod sibi, vel aliis debent. *)

*) *Vid.* Seidels *Pastoraltheologie* 1. *T. c.* 16.

164.

Ut definiat, quibus monitis singuli pro diversitate status, ac ætatis instruendi sint, non est opus, nisi ut exroget, *a*) quæ eis incumbant officia, *b*) quibus sint expositi occasionibus, ea violandi, *c*) quæ vitia in iis explendis communiter admitti, *d*) quæ effugia quæri soleant. Quod itaque est hac in re præcipuum, ad doctrinam morum pertinet.

165.

Si consulitur de amplectendo vitæ genere; res fere omnis eo redit, 1) ut proponat, quanti momenti res sit hujusmodi deliberatio; 2) ostendat, quæ dotes requirantur, 3) quæ officia et pericula cum hoc, illove statu conexa sint, et doceat, qua ratione se rite ad id negotii parare debeant.

166.

Eos, qui de matrimonio ineundo cogitant, moneat 1) ne rem tanti momenti deproperent: 2) ad promovendam felicitatem stabilem, ne solummodo spectent pinguem dotem, venustatem formæ etc. sed præcipue concordiam indolis, educationem etc. 3) Moneat quid leges civiles statuant de matrimoniis valide legitimeque contrahendis. Disserte proponere personam aliquam, aut dissuadere, fere periculo haud caret. Conciliare autem nuptias, plane non est curatoris animarum.

167.

Eos, qui matrimonio juncti sunt, moneat pro ratione adjunctorum, ut cogitent de scopo matrimonii qui non situs duntaxat est in generatione prolis; verum etiam mutua ope etc. 2) Moneat eos amoris mutui, fidei, patientiæ, qua partis alterius vel infirmitates, vel vitia ferenda sunt, idoneæ distributionis negotiorum etc. Maritos præcipue moneat, ut accuratam habeant curam rei familiaris, prudenter utantur sua potestate, suisque provideant de necessariis ad victum etc. Uxores hortetur, ut sint pudicæ, mansuætæ, benevolæ, indulgentesque ac eæ, quæ facile concedant alterius iræ. *)

*) *Vid.* Miller De officiis obviis ante et post matrimonium atque in vita domestica. 1771. 8. Meister. Conciones pro conjugibus christianis. *Quedlinburg.* 1777. De officiis nuptorum conciones habitæ in benedictione nuptiali etc. 4. *T.* 1770.-75.

168.

Dum conjuges inter se dissident; multa opus est prudentia. Credulitas, atque studium partium periculosi sunt scopuli, ad quos facile hic impigeris. Generalem fere hanc regulam statuere liceat: Alterutrius parti nunquam sunt probanda omnia; semperque est attendendum, ut pars altera, quantum salva veritate fieri potest, excusetur. Momenta, queis concordia conjugibus suadeatur, magni sane ponderis sunt. Una ex parte eis proponatur infelicitas matrimonii discordis; ex altera parte conjugii concordia firmati felicitas.

169.

Parentibus commendet 1) curam pro liberorum sa-

lute tum corporali, tum spirituali, 2) sollicitam educationem, 3) bonum exemplum, 4) punitionem vitiorum, quibus laborant, conjunctam cum patientia, institutionem, bonumque consilium, dum agitur de eligendo vitæ genere, 5) separationem a consortiis pravis. Moneat, ne perperam intellecto amore, aut indulgentia nimia liberos depravent; at etiam perperam intellecto disciplinæ zelo ad iram provocent; neque vim eis inferant, dum res est de eligendo vitæ statu: quæ quidem res effectus tristes solet procreare, et accersere mala plurima tum liberis, tum parentibus, atque societati humanæ, et his similia. Aliqua ratione hæ doctrinæ spectant omnes, quicunque parentum loco sunt. *)

*) *Vid.* Tellers 1773. 8. Conciones de domestica pietate.

170.

Liberi parentibus debent 1) amorem sincerum, et reverentiam, 2) obedientiam in rebus quibuscumque permissis, 3) opem, quacumque indigent, 4) gratum animum. *)

*) Sturms, Conciones pro pueris provectioribus. *Leips.* 1771-75. *Ejusdem*, Conciones in confirmatione habitæ. *Magdeburg.*

171.

Fratres, et sorores, ac necessarii debent 1) amore sincero mutuo se amplecti, 2) commune familiæ bonum quantum fieri potest, procurare, 3) omnes offensiones, una cum earum occasionibus, invidiam, malevolentiam etc. vitare, 4) infirmitates invicem æquo animo ferre, 5) obsequia, et charitatis officia sibi invicem exhibere.

172.

Patribus, et matribus familias dicat: 1) ut in suos domesticos lenitate utantur; seque abstineant ab omni eorum contemptu: 2) ut curam gerant pro eorum salute tum corporali tum spirituali: 3) non plus imponant oneris, quam ferre queant, at neque otio, aut inerti vita eos corrumpant: 4) mercedem debitam reddere ne differant; multo minus defraudent: 5) concordiam in familiá, atque disciplinam tueri nitantur: 6) ubi fundamentum non suppetit, nec diffidentiam erga illos prodant. Rationum moventium loco hanc in rem adducat id quod tradidit apostolus, servos videlicet æque ac dominos homines esse, et a Deo redemptos. *)

*) *Conf.* Conciones pro patribus et matribus familias. 1776. 8.

173.

Famuli, ac ancillæ debent heris suis 1) honorem, amorem, fidem, promptumque animum in præstandis obsequiis. 2) *Non sint ad oculum servientes, sed facientes voluntatem Dei ex animo.* Eph. VI. 6. et Coloss. III. 22. 3) Avertant, quantum in se est, damna quæcumque. 4) Sint patientes, atque grati. *)

*) *Vid.* De officiis servo.rum domesticorum. *Berlin* 1781.

174

Qui magistratum gerunt, tenentur, 1) potestate sibi tradita uti sancte, ne forte quid agant præter jus et fas; 2) leges sartas tectas conservare, omnesque occasiones eas violandi tollere e medio; 3) diligere veritatem et justitiam; 4) legum transgressores afficere

pœnis. Vitia, quæ fugere eos oportet, sunt: *a*) accumulatio bonorum, orta ex voluntate plus æquo studiosa proprii commodi, *b*) durities animi, *c*) studium partium, *d*) contemptus hominum conditionis inferioris.

175.

Cives, et subditi 1) honorent, ut par est, principem (potestatem) 2.) Eidem pareant in rebus quibuscumque æquis, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* 3) Bonum illius, quo possunt, modo meliore promoveant, ac pro ejus incolumitate preces fundant. 4) Tributa et vectigalia accurate pendant, solitosque in iis persolvendis dolos, et defraudationes vitent.

176.

*Milites* moneantur temperantiæ, philantropiæ, animi sorte sua contenti, disciplinæ, amoris patriæ, fidei, patientiæ in perferendis molestiis; utque se abstineant ab inferenda vi, aut studio honoris sinistre intellecto. Sæpe expugnandum est præjudicium; quasi religionis christianæ exercitium cum isto statu componi haud posset; qui potius longe plurimam occasionem suppeditat, veræ christianorum religionis opera exercendi. Moderata honoris cupiditas, unde tot bonæ actiones in salutem societatis, ac patriæ dimanant, ne supprimatur sed promoveatur potius. Quidquid hic rei est, in eo dumtaxat est positum, ut ostendatur, in quo sit verus honor, et ut rectum ad finem referatur. *)

*) *Conf.* Tollners. Imago officialis. *Frankfurt* 1763. 8. Miles christianus 1761. 8. De veris officiis militis 1772. 8. Joh. Mich. Bernhards. De animi quiete in statu militari. *Breslau* 1776.

177.

*Senes* proni fere sunt ad morositatem, contemptionem ejus, quidquid est novum, ad avaritiam, aut effusionem prodigam, ad immoderatam quidlibet carpendi libidinem etc. Cujusmodi quidem vitia, et infirmitates ut vitent, permanenter monendi sunt. Moneantur itaque 1) ut revocent in memoriam præteritos vitæ dies; 2) ut gratum erga Deum animum exhibeant: 3) admissorum scelerum agant pœnitentiam: 4) ad vitam futuram se præparent etc. *)

*) *Vid.* Ortons. Conciones pro senibus. 1774. 8. Optima applicatio horarum vespertinarum vitæ humanæ. *Leips.* 1770. 8.

178.

*Iuvenes* utriusque sexus moneantur 1) moderationis cupiditatum, quibus hæc ætas vehementius ardere solet, 2) modestiæ, 3) assiduæ diligentiæ in discendo, 4) recti usus pecuniarum, sanitatis, temporis, 5) moderati, ac demissi animi, 6) promptique ad excipienda saniora consilia, 7) reverentiæ erga senes, 8) deliberationis seriæ de amplectendo vitæ statu. Adolescentulæ potissimum fugiant, quæcunque nocere famæ possint. Sint modestæ, pudicæ, non otiosæ, perficiant intellectum, atque norint laudatores blandiloquos adhibita verborum moderatione repellere. *)

*Vid.* Dodds. Conciones pro juvenibus. Fordyce. Idem argum *Theile* 1774. 8. Conciones pro fœminis. *Leips.* 1770

179.

*Concilici* 1) sint instructi scientia necessaria; 2) eam, quam par est, impendant operam; 3) humane

ac comiter agant cum partibus litigantibus; 4) causarum aperte iniquarum patrocinium ne suscipiant; 5) causas ne trahant in longius, spe lucri; 6) neque fallant, dum agitur de præstandis litis impendiis etc.

180.

*Medici* serio cogitent, quanti pretii ac momenti sit vita hominis. Quare 1) non committant, ut artem medendi profiteantur; debita scientia si careant. 2) Absit, ut quid periclitentur, nisi urgeat necessitas. 3) In casibus intricatis alios ad consilium adhibeant; 4) neque egenis opem suam denegent.

181.

*Mercatores* et *artifices* moneantur, ne fraudem faciant: neve studeant iniquo, et inmoderato lucro; nec indulgeant relaxationibus animi, quæ prodigam effusionem præferant. In reddendis tributis, aut vectigalibus ne defraudent; neque fallaci statera, aut mensura utantur; neque opprimant alios. Commoneantur recti ordinis, atque accuratioris in libris, rationibus, et negotiis observanda assiduæ diligentiæ.

182.

*Iudicibus* proponatur scopus officii, quo funguntur, videlicet commune bonum. Moneantur, ut cogitent de supremo judice. Commendetur eis constans veritatis, et justitiæ amor, qui nec muneribus, nec propensione singulari, favore, amicitia, aut inimicitia etc. flecti possit. *)

*) Roques, Historia hominis conscientiosi.

183.

*Viduæ*, ac *pupilli* excitentur 1) ad fiduciam collocandam in Deo, 2) ad sedulitatem, amoremque laboris, 3) ad gratam memoriam vita functorum, 4) ac imitationem probitatis eorum.

184.

*Pauperes*, aliosque inferioris conditionis quod attinet; sæpe subit eorum animos cogitatio, conquerendi de Deo, ac hominibus, utendique artibus haud permissis, mendaciis, fraudibus mendicatione, et his similibus, ad sublevandam sortem suam. Eis commendetur 1) ingenuitas 2) sedulitas, laborisque studium, 3) parsimonia.

185.

Communia hominum *eruditorum* vitia sunt: 1) superbia, 2) contradicendi libido, 3) pertinacia, 4) ceterorum contemptus, 5) abusus scientiarum, quas callent, 6) valetudinis, ac virium debilitatio. Ut hæc vitia fugiant, commonendi sunt, hortandique, ut ordinis, studii veritatis, lenitatis, recti usus suarum virium, probique delectus disciplinarum, quæ in commune prosunt, etc. rationem habeat.

186.

*Opifices*, et *mercenarii*, ut sorte sua contenti vivant, sæpius monendi sunt; hortandique ad sedulitatem, probitatem, parsimoniam. Sæpe fit, ut in eorum animos irrepant invidia, libido persequendi, et aspernandi alios, fraus, dilapidatio etc. *)

*) *Conf.* Hanway, Virtus in statu depresso 1776. 8.

De vita et morte hominum bonæ voluntatis. 1776. 8.

187.

Hominibus *rusticanis* inculcetur, 1) ut continuo rationem habeant divinæ providentiæ; 2) æquo animo ferant multiplicis generis casus adversos; 3) colant pacem cum viciris; 4) fidem servent, quam debent principi, ac domino; cui subsunt; 5) omnem mittant superstitionem, et his similia. *)

*) *Vid.* Colloquia instituta diebus dominicis inter quosdam homines campestres. 1785. 8. *Officia hominum conditionum diversarum paucis complectitur. Instructio de vera et falsa religione christiana.* 1778.

188.

Tandem, dum instituendi sunt subditi, pro diversitate ætatis, habenda est præ oculis admonitio apostoli. 1. *Tim V.* 1. seq. Cum viro ætate provecto durius ne agas; neque, cum peccaverit, asperu suaveque eum objurges; sed blande admone, et cum quadam amoris, ac reverentiæ significatione; quasi esset pater tuus. In juvenes nunquam non utaris lenitate, ac humanitate, quasi essent fratres tui. Feminas ætate provectas hortare quasi essent matres tuæ: et adolescentulas, quasi sorores tuæ essent, cautione tamen adhibita, nequa ex blanditiis aut amori aut suspicioni pateat fenestra. Paulus: *Seniorem ne increpaveris; sed obsecra, ut patrem; juvenes, ut fratres. Anus, ut matres; juvenculas, ut sorores, in omni castitate.*

# SUMMARIUM

## PRIMI VOLUMINIS.

# PARS I.

## *De officio docendi sive instructione in religione.*

### SECTIO I.

### De religionis doctrina generatim.

## SECTIO II.

### De catechizatione et concionibus sacris.

## SECTIO III.

### De institutione privata.

# HÆC SALTEM EMENDANDA.

| Pag. | Lin. | Dicitur. | Legatur. |
|---|---|---|---|
| 13 | 22 | *habent: Elucubrationes* | habent elucubrationes |
| 19 | 13 | *animis* | animi |
| 49 | 10 | *illis, Ite* | illis : ite |
| 54 | 18 | *intentate* | intentatæ |
| 103 | 14 | *Alii* | Alli-- |
| 109 | 4 | *regum* | rerum |
| 110 | 11 | *mum, si* | mum prodest, si |
| 112 | 17 | *de qua* | de qua supra |
| 113 | 15 | *difficiliora in catechismo sunt, retineant.* | difficiliora sunt, defigant, et ab illo exposita memoria retineant. |
| Id. | 23 | *se* | se attentos |
| 117 | 15 | *diaconos* | diacono |
| 143 | 19 | *date* | datæ |
| 169 | 20 | *persuadentur* | persuadeantur |
| 176 | 4 | *allis* | aliis |
| 194 | 16 | *libero, aere* | libero aere |
| 196 | 29 | *tum* | tam |
| 212 | 19 | *animus* | animum |
| 218 | 3 | *solis* | soli |
| 233 | 19 | *habcat* | habeant |

*En donde esta, se hallan las obras siguientes:*

Cartas importantes del Papa Clemente XIV. (Ganganeli) por el Marques Caraciolo, 5 tomos en 8.º Esta obra es la única produccion que nos ha dejado este hombre célebre, uno de los mas grandes políticos, y que con mas acierto ha dirigido los negocios del pontificado: en ellas se encuentra la famosa bula de la estincion de los jesuitas, que él solo se atrevio á hacer, y las contestaciones que hubo con varias cortes que pidieron su destruccion.

La vida del Papa Clemente XIV. (Ganganeli) corregida, en 8.º

El idioma de la Razon, en 8.º

El de la Religion, en 8.º

La Verdadera Alegría, que enseña á conformarse el hombre con los decretos de la Providencia, y gozar siempre dentro y fuera de sí una paz imperturbable, en 8.º

La Conversacion consigo mismo, medio conveniente para no estar jamas solo el hombre aun en los desiertos mas retirados y tristes, en 8.º

El verdadero Mentor o Ayo de la nobleza: libro de oro para los que no tengan el alma de hierro, y deseen hacer felices á sus hijos, logrando instrucciones oportunas para ser útiles para sí y para el Estado, en 8.º

Los verdaderos intereses de la Patria en 8.º

El Cristiano de estos tiempos, 2 tomos en 8.º
Principios fundamentales de la religion, 2 tomos en 8.º
Las Noches Clementinas, 2 tomos en 8.º
La Despedida de la Mariscala, en 8.º
Religion del Corazon, en 8.º
Viage de la Razon por la Europa, 2 tomos en 8.º
Pintura de la Muerte, en 8.º
Auto general de fe que se celebró en Madrid en el año de 1680, con asistencia del rey don Cárlos II. Va inserta la estampa de toda la perspectiva del teatro, plaza y balcones, un tomo en 4.º
Catecismo Constitucional, en 8.º
Sermones panegíricos, morales y fúnebres del Ilustrísimo Señor Espíritu Flecher, Obispo de Nimes, 6 tomos en 4.º
Elementos de medicina práctica fundados sobre el sistema de Brown por el Consejero M. A Weicard, traducidas por el Dr. D. Joaquin Serrano, 2 tomos en 8.º
Elementos de Medicina del Dr. Juan Brown, traducidos por Serrano, 2 tomos en 4.º
Lecciones de Navegacion ó Principios necesarios á la ciencia del Piloto, por D. Dionisio Macarte y Diaz, un tomo en 4.º con láminas.
Obras y Cartas de Santa Teresa, 6 tomos en 4.º mayor.
Descubrimientos y conquista de América, ó Compendio de la historia general del nuevo mundo por el Autor del nuevo Robinson, traducida del frances, corregida y mejorada, 2.ª edicion, 3 tomos en 8.º

Croixset, Año cristiano y Dominicas, 18 tomos en 4.º
Calepino de Salas, en 4.º
Tesauro de Requejo, en 4.º
Fábulas de Samaniego, en 8.º
Id. de Iriarte, en 8.º
Heidek, La fe triunfante, en 4.º
Historia de la administracion del Lord North, en 8.º mayor.
Esterior del caballo por don Hipólito Estevez, 2 tomos en 4.º con láminas.

Se hallan asímismo otras muchas obras.





GIFTSCHU

THEOLOGI

PASTORAL

1


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm